This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ld
11
14

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

Ld 11.14

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.

CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

28 Feb., 1890.

9628

ORESTIS TRAGOEDIA,

CARMEN EPICUM

SAECULO POST CHRISTUM NATUM SEXTO COMPOSITUM

EMENDATIUS EDIDIT

CAROLUS SCHENKL.

PRAGAE.

FRIDERICUS TEMPSKY SUMPTUS FECIT.

FORMIS MERCYANIS.

A. MDCCCLXVII.

Ld 11.14
~~La 35.151~~

Salisbury Fund.

MAXIMILIANO DE KARAJAN

CAROLO TOMASCHEK

COLLEGIS AMICISSIMIS.

Prolegomena.

I. Libellus qui inscribitur 'Orestis tragoedia' duobus qui nobis adhuc praesto sunt codicibus manu scriptis traditus est nec aetate nec pretio paribus. Quorum alter est Bernensis (45), olim Bongarsianus, membranaceus, quo praeter Orestem continetur Lucani Pharsalia, scriptus ille ut visum est Sinnero (Codd. latt. mss. bibl. Bernensis p. 507) saeculo nono, ut C. G. Muellero saeculo demum decimo, alter Ambrosianus (O,74) chartaceus saeculo decimo quinto exaratus, varia praeter ea Vergilii, Claudiani, Calpurnii, Nemesiani carmina continens sive genuina sive subditicia. Ex illo igitur Orestis tragoediam descripsit C. G. Muellerus anno 1834, hunc, postquam M. Hertzius anno 1847 partem carminis in usum Muelleri excripsit, R. Hercherus anno 1854 denuo examinavit totumque carmen cum Muelleri exemplari contulit accuratissime. Neque vero iis tantum quos modo nominavimus libris carmen de quo agimus traditum est, sed alios etiam eius modi codices extitisse olim vel etiam nunc extare compertum habemus. Sic Angelus Maius in Spicilegio Romano (tom. I, p. XXIII) de codice quodam in Transsilvania invento mentionem facit dicens in Diario doctorum Italiae (tom. X, p. 402) haec

legi: 'Angelo Vergerio da Retimo di Candia mandò con impostura al Sabellico una tragedia latina intitolata Orestes, come lavoro di mano antica trovato già 60 anni nella Transilvania tra alcuni scritti antichissimi di Romani. Il Sabellico, uomo di acuto odorato, esaminò ben bene la cosa e poi rescrisse al Vergerio in tal guisa: affirmare possum aut ex recentioribus aliquem extitisse aliquando, qui multo similior veteribus fuerit, quam iis cum quibus vixit, aut si priscorum unus fuit, is certe habendus est, qui ex hoc ipso sit carmine poeticem auspicatus.' Adde quod J. Lelandius in opere quod de scriptoribus Britannicis conscripsit p. 19 sq. refert se quondam vidisse Orestis tragoediam his verbis usus: 'Annis abhinc tribus aut eo amplius auctioni veterum librorum interfui. Hic ego non carbones sed thesauros inveni, nempe Orestis tragoediam antiquissimi sed auctoris hactenus mihi incerti nominis, non iambicis senariis, verum quod admiraberis hexametris heroicis accuratissime scriptam; coniectura tantum est opus a Pomponio Secundo conscriptum.' Qua in re miraberis profecto ridiculum Lelandii errorem, qui tale carmen ad Pomponium Secundum rettulerit, sed codicem illum in bibliotheca quadam Angliae adhuc latere haud iniuria conicias.

Jam vero libris ambobus, Bernensi et Ambrosiano, diligenter inter se collatis facile apparet Bernensis maximam atque ut ita dicam unicam esse in verbis scriptoris constituendis auctoritatem. Etenim quamquam Bernensis ab scriba imperitissimo satis neglegenter descriptus multis et foedis inquinatus est mendis, nusquam tamen interpolationis aut correctionis ullius praebet suspitionem atque in ipsis corruptelis saepissime servavit verae scripturae vestigia. In Ambrosiano autem recte diiudicando maximi momenti est inscriptio, quae ibi carmini praefixa est 'Horestis fabula ab enoch asculano reperta incipit.' Constat igitur librum, ex quo descriptus est Ambrosianus, repertum esse ab Enoch Asculano, qui iussu Nicolai quinti pontificis maximi libro-

rum conquirendorum caussa in Galliam et inde in Germaniam profectus est atque in eo itinere usque in Daniam et Scandinaviam progressus esse dicitur. [1]) Utrum autem codicem ipsum quem invenerat apportaverit Enoch an exemplar quod descripserat, de ea re certi quidquam statui non potest, quamquam si ea, quae Massmannus rettulit de libellis Taciti et Suetonii ab Enoch inventis, etiam atque etiam considero, non dubito Fr. Haasii sententiae accedere, qui codicem ipsum non magis ab Enoch in Italiam allatum esse censet quam vetustum librum Taciti et Suetonii opuscula continentem. [2]) Sed multo minus tribuerim alteri viri egregii coniecturae, qua librum Ambrosianum ab Enoch ipso perscriptum esse affirmat. Nam etsi concedas eam rem collatis demum, si quae etiam nunc extant, eius manus reliquiis plane decerni posse, tamen isti sententiae multae et graves adversantur rationes, quas iam in eis quae secuntur breviter explicabimus.

Codicem Ambrosianum ex eodem fonte, unde manavit Bernensis, fluxisse satis ostendunt lacunae, quae omnes illi communes sunt cum libro Bongarsiano. Qua de re cum satis expositum sit in commentariis criticis, sufficiet hoc loco indicare vv. 20, 338, 423 et 425, 489. Verum multo deteriorem esse Ambrosianum Bernensi iam prima specie ex eo cognosces, quod in illo versus decem, qui in hoc leguntur, plane sunt omissi; qui sunt 12, 16, 212, 299,

[1]) De Enoch Asculano vide quae rettulerunt J. F. Massmannus in editione quam curavit libelli Tacitei de Germania p. 11 sq., 184 sqq., Angelus Maius in Spicil. Rom. tom. I, p. XXII sqq., 665 sq. Adde quod P. Burmannus Anth. lat. tom. I, p. 287 in codicibus Leidensi et Vossiano, quibus continetur altera de Maecenate moribundo elegia, hanc subscriptionem legi refert 'Finit elegia Virgilii Maronis in Maecenatem inventa ab Henoc in Dacia' i. e. in Dania; Daciam enim Daniam vocabant aetatis illius homines, id quod intellegitur ex litteris, quas Fr. Philelphus ad Callistum misit (Epist. XIII, 1).

[2]) Miscell. phil. lib. III, p. 28.

363, 365, 510, 663 et 664, 925. Jam vero de nonnullis versibus iusta caussa, cur praetermissi sint, proferri non potest, nisi forte dicendum est scribam eos utpote corruptos vel supervacaneos transiisse; in aliis autem res ipsa loquitur. Nam vv. 663 et 664 omisisse videtur scriba a v. 663 ad 665, quorum uterque ab eadem voce incipit, aberrans; v. 16, qui fine truncato legitur in Bernensi, consulto praetermisit atque eadem fere de caussa transiit v. 299, ex quo misere corrupto sensum elici posse omnino desperaret. At enim in Ambrosiano quoque post v. 67 haec leguntur 'si vivis et non es sacrata morte dicata,' quorum nullum in Bernensi extat vestigium. Verum equidem nihil in ea re tribuendum esse Ambrosiani auctoritati existimo, sed istum versum cum Rothmalero [3]) pro spurio habere nullus dubito. Nam primum id quod gravissimum est vv. 67—69 in Bernensi tam apte cohaerent, ut neque in sententiis neque in verbis quidquam desideres. Poeta enim Agamemnonem, cum ille Iphigeniam filiam quam ipse immolaverat praeter spem vivam incolumemque vidisset, stupore ac velut torpore quodam captum haec facit dicentem 'vivis an effigies et imago volatilis extas?' mox autem acceptis filiae complexibus fervidisque osculis exclamat pater 'gaudeo, nam vivam te membra docent tactusque fatentur' simulque conscius culpae, quam in se admiserat, post laetam illam exclamationem interponit has preces 'da veniam, si corruis ense deorum'. Accedit quod in versu, quem Ambrosianus post v. 67 insertum habet, offendimur inepta sane locutione 'sacrata morte dicata.' Denique versus iste festinanter puto in marginem coniectus graviter metro laborat syllaba priori vocis *vivo* correpta. Quem quidem leni mutatione emendari posse, si scribas 'si viva es et non sacrata morte dicata', L. Muellero [4]) libenter concedo, sed talem fetum sanare

[3]) Orest. trag. emend. p. 9.
[4]) Mus. Rhen. XXI, p. 460.

profecto nihil aliud est nisi ut aiunt oleum et operam perdere. Spurius igitur habendus est versus iste, quem mea quidem sententia adscripsit is, qui initium versus antecedentis corruptum et mutilum emendavit, cum ei persuasum esset tale quid requiri ad orationis contextum restituendum. — At enim expleta est in Ambrosiano lacuna, qua vitiatus est v. 220 in Bernensi. Quasi vero in deterioribus libris eius modi damna coniecturis non sint resarcita. Atque hoc loco emendator verba *faciebat amor* ex Ovidii Met. VI, 469, quem locum indicavit L. Muellerus, [5]) sumpsisse videtur, quae emendatio sane quam scita est neque tamen extra omnem dubitationem posita. Nec minus apte supplevit emendator v. 139 vocabulum *lectum* in fine omissum, quamquam eo loco de voce illa restituenda omninó non potest dubitari. Sed alio loco, versum dico 72, in gravissimum incidit errorem. Cum enim in codice suo id quod ex Bernensi enotatum est 'et quod plus miror p . . . . . sacra Dianae' repperisset, rationem ille non habuit litterulae *p*, quae unica servata erat de voce deperdita, atque plane ad arbitrium suum reposuit *nemoralis*. Unde quid tribuendum sit eius modi supplementis, iam sponte intellegitur. Nihil igitur in his rebus praebet liber Ambrosianus, quod eum ex fonte diverso ab illo, quem habuit Bernensis, manavisse confirmet.

Porro si quis codicem Ambrosianum perlustraverit, iam primo adspectu intelleget aut hunc librum ipsum aut eum, ex quo descriptus est, manum emendatricem expertum esse. Etenim maculae, quibus non solum Bongarsianum sed etiam omnes libros vetustos inquinatos esse scimus, haud multae in eo deprehenduntur. Dico autem litteras et syllabas praesertim finales frequenter commutatas, vocabulorum particulas male disiectas et modo antecedentibus modo sequentibus vocibus adiunctas aliaque id genus.

---

[5]) l. c. p. 465.

Quibus vitiis cum abundent codices manu scripti antiqui, libri recentiores inde ab saeculo decimo quarto multo emendatiores sunt ac castigatiores. Haec igitur de Ambrosiano quoque aut de exemplari, unde manavit ille, dicenda sunt. Sexcentis enim locis eius modi menda, quae extant in Bernensi, sublata atque emendata sunt in Ambrosiano. Quae utique fere omnia ita comparata sunt, ut ab quolibet, qui aliquam saltem habeat linguae latinae notitiam, nullo negotio sanari possint. Neque tamen sua laude fraudandus est ille Orestis tragoediae emendator, quicunque fuit, cum nonnulla, quae misere corrupta erant, haud infelicibus restituerit coniecturis, veluti v. 59 legitur in Bernensi *esum*, in Ambrosiano correctum *summum*, v. 60 praebet ille *pauca*, hic emendatus *patria*, v. 25 in illo scriptum est *dux rex*, in hoc vocabulis transpositis *rex dux*. Verum in iis locis, qui graviori laborant vitio, medendis falsam prorsus viam ingressus est emendator. Tantum enim abfuit, ut vestigia codicis, quem manibus tenebat, secutus ex ipsis corruptelis verum elicere studeret, ut perverso usus iudicio audacissimis indulgeret coniecturis et haud paucos versus plane ad arbitrium suum conformaret scriptura antiqua penitus deleta. Iam vero qua licentia grassatus sit ille in oratione constituenda, ostendam paucis exemplis allatis. V. 78 haec leguntur in Bernensi misere depravata *posterarum tempora vita*, quae ita emendanda esse ut scribatur *posita per tempora vitta* dixi in commentariis criticis, ex Ambrosiano enotatum est *post tergum brachia vincta*; v. 84 haec est codicis Bongarsiani scriptura *agit precepto reture*, ex qua coniectura effeci ego *ait sic ture recepto*, emendator *ait precepta repertae*. Sed luculentiora etiam exempla sunt v. 343, ubi pro eo quod extat in Bernensi *atque utinam minalenem per vella* [6]) *feriret amazo*, in Ambrosiano repositum est *illum bellatrix utinam stravisset amazon* et v. 950, quo loco

[6]) Scribendum cum Rothmalero *iuvenem per bella*.

scriptura libri Bernensis *nec ter estas* i. e. *nec Tiresias* [7]) ab emendatore mutata est in *non praestatus.* Iam vides in eius modi mutationibus ne vestigium quidem verae scripturae reliquum esse nec umquam fieri potuisse, ut talibus locis, si unius codicis Ambrosiani fide niteremur in hoc carmine emendando, verum indagaremus. Praeter ea, quae modo diximus, in hac quaestione tractanda dignae etiam sunt quae commemorentur scripturae discrepantes, quas praebet Ambrosianus v. 9 et 10. Priori enim loco in versu ipso scriptum est *moveri,* in margine autem adiectum *al' feroci,* quae est lectio libri Bongarsiani; posteriori in versu ipso Ambrosianus cum Bernensi scripturam habet *sororum,* in margine autem *furorum,* unde apparet *moveri* et *furorum* esse emendatoris coniecturas, alteram ineptissimam, alteram ut mihi quidem videtur verissimam.

Quibus expositis iam inquirendum erit nobis, num pro emendatore illo habendus sit is ipse, qui carmen repperisse dicitur, Enoch Asculanus. Id quod cum affirmaverit Haasius, cui assensus est etiam Rothmalerus, ego in contrariam discedo sententiam. Quo modo enim quaeso fieri potuit, ut Enoch Asculanus, quem in ceteris quos repertos et descriptos in Italiam attulit libris ab omni libidine abstinuisse scimus, tam immoderata uteretur in hoc carmine restituendo licentia. Num quid ab aequalibus eius traditum est, quod nobis tamquam ansam det talis suspitionis? Immo Iovianus Pontanus, qui codicem Leidensem Taciti et Suetonii opuscula continentem manu sua perscripsit, in extrema pagina haec annotavit: 'Enoc Asculanus hoc libros quamquam mendosos et imperfectos ad nos rettulit', [8]) unde

---

[7]) Vix credibile est scriptorem tali mensura *Tīrĕsĭās* ter in uno vocabulo peccavisse contra leges metricas; quam ob rem cum L. Muellero vocabulis transpositis restitui *Tiresias nec.*

[8]) Cfr. quae exposuit Massmannus in editione libelli de Germania supra commemorata p. 10 et 185.

colligi licet Pontanum demum exemplar quod acceperat ab Enoch emendavisse. Cuius rei documentum est codicis Leidensis scriptura multis locis correcta litteris syllabisque aut erasis aut expunctis, quae omnes fere extant in codice Farnesiano ex eodem quod confecerat Enoch exemplari descripto. Qui autem tali modestia usus est in libellis illis tam luculentis, eum vix est quod credas alium se praebuisse in opusculo vili atque obscuro. Neque vero ab eo, qui codicem Ambrosianum exaravit, emendationes illas profectas esse existimo. Nam si codicis Ambrosiani scripturas accuratius perlustraveris, concedes sine dubio scribam fuisse hominem rudem, qui neque singulos litterarum ductus in exemplari, quod manibus tractabat, probe discernere posset neque omnino id quod transcribendum esset intellegeret. Unde factum est, ut nonnumquam emendationes, quas in exemplo suo adscriptas repperit, perperam lectas in transscribendo corrumperet. Sic ut unum alterumque exemplum proferam, v. 72 ubi emendatorem *nemorali sacra Dianae* posuisse supra diximus, ille dormitans scripsit *memorali s. D.*, v. 845 emendator scripturam depravatam *furit a . . cides seva terrentem egebat* correxerat his positis *furit algides saeva terrente megaera*, [9]) id quod homo ille somniculosus corrupit rursus scribendo *furit aegides s. t. m.*

Jam vero quae effecta sunt disputatione nostra repetamus ita, ut quae disperse dicta sunt unum in locum cogamus. Dico igitur librum quem repperit Enoch simillimum fuisse codici Bongarsiano; neque obloquar Haasio affirmanti ipsum Bernensem ab Enoch repertum et descrip-

---

[9]) Ita enim emendatorem scripsisse mihi persuasum est. Nam qui *saeva terrente megaera* elicuit ex scriptura misere depravata, is profecto non in eum errorem incidere potuit, ut in eodem versu scriberet *aegides*. Quod autem eum scripsisse *algides* conieci, id confirmatur aetatis illius consuetudine, qua haud raro permutatae sunt litterae *e* et *g*, veluti in versu praecedenti, ubi *ligurgus* scriptum est pro *Lycurgus*.

tum esse, quamquam de ea re in mera coniectura posita certi omnino nihil statui potest. [10]) Exemplum autem, quod sua manu confectum in Italiam apportaverat Enoch, ab Italo quodam emendatum esse conicio atque illam Orestis tragoediae recensionem haud paucis locis corruptam ab eo, qui librum Ambrosianum perscripsit, variis illis catalectis quae supra nominavimus adiectam esse.

Mirandum profecto est carmen de quo agimus tam diu delituisse ac nuperrime tandem in lucem prolatum esse. Nam quamquam iam anno 1760 J. B. Sinnerus in catalogo codicum latinorum bibliothecae Bernensis (p. 507 sqq.) versus viginti unum (1 et 2, 752—770), anno 1839 Angelus Maius in praefatione Spicilegii Romani (tom. I, p. XXIV sqq.) versus quinquaginta tres (1—53) ediderat, tamen princeps huius libelli editio prodiit anno demum 1858 curata a C. G. Muellero, qui cum eo emisso universitati litterarum Jenensi saecula tertia celebranda gratulatus esset, anno elapso editionem illam repetiit libello, quo ad sollemnia scholae Rudolstadiensis celebranda invitavit. Verum Muellerus eam quam sibi sumpsit provinciam non ita ut laude dignus esset administravit. Nam ut omittam eum in oratione scriptoris constituenda Ambrosiano potius quam Bernensi duce usum esse, paucis tantum locis coniectura tentatis plurima et foedissima menda intacta reliquit atque eo etiam perversitatis progressus est, ut haud paucis locis scripturas reciperet, quibus nulla prorsus subiecta esset sententia. Adde quod ille neque enuntiatorum neque membrorum incisorumque aptas curavit distinctiones, sed haud raro monstra germana ac portenta exhibuit. Quae cum

---

[10]) Codicem illum qui nunc est Bernensis Argentorati olim fuisse in bibliotheca ecclesiae S. Mariae suspicari licet. Plures enim Lucani codices, qui nunc Bernae asservantur, priusquam in Bongarsii manus pervenerunt, bibliothecae illius fuisse testis est Weberus in edit. Luc. Tom. III, p. VIII.

ita sint, laudandus quidem est editor, quod Bernensis Ambrosianique vulgavit scripturas, editionem vero illam neque ullius esse pretii neque recensionis nomine dignam omnes profecto concedent. Carmine igitur in lucem prolato primus qui eius misere depravati curam susciperet extitit Fr. Haasius. Is enim Miscellaneorum philologicorum libro III Vratislaviae anno 1861 edito [11]) de carminis auctore et aetate, de dicendi genere aliisque id genus egregie ut solet disputavit; artem criticam autem parcius exercuit paucis tantum locis neque iis feliciter semper tractatis. Haasium secutus est A. Rothmalerus, qui in programmate scholae Nordhusiensis anno 1865 emisso [12]) satis multos huius carminis locos tentavit ita, ut plerumque aut verum ipsum indagaret aut certe emendandi viam ostenderet, raro a vero aberraret. Cuius viri doctissimi ingenio plurimum debere Orestis tragoediam facile intellegetur ex commentariis criticis. Paullo post alter extitit huius carminis editor, Jacobus Maehlyus, qui illud typis nitidissimis excriptum in publicum emisit anno 1866. [13]) Quem profecto dolendum est neque Haasii neque Rothmaleri libellos cognovisse. Nam si eorum habuisset notitiam, numquam fieri potuisset, ut tam vehementer erraret in codicibus, Ambrosiano et Bernensi, aestimandis. Ita enim statuit vir doctissimus p. VII: 'In universum vero spectanti res ita est comparata, ut nulla plane vetustatis ratione habita ea sit promiscue ex utrovis lectio elegenda, quae sive ab latinitate sive ab exteriore qualibet specie maiorem habeat commendationem.' Quod quam falsum sit, ex eis quae modo diximus intellegitur. Ea autem ab radice larga pullulavit errorum seges, cum

---

[11]) Inest liber ille programmati, quo ad diem natalem regis Gulielmi celebrandum invitavit senatus academiae Vratislaviensis.

[12]) Inscriptum est: Orestis tragoedia emendatur ab Adolfo Rothmaler.

[13]) Anonymi Orestis tragoedia, emendatiorem edidit Jacobus Maehly, Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri.

Maehlyus haud raro libri Bernensis optimis scripturis posthabitis receperit speciosas sed falsas coniecturas, quae in codice Ambrosiano leguntur. Adde quod ille haud paucis locis licenter magis quam prudenter admovit critica remedia. Qua de re cum et L. Muellerus dixerit Mus. Rhen. tom. XXI, p. 455 sqq. et ego exposuerim accuratius Ephem. gymn. Austr. tom. XIX, p. 81 sqq., plura hoc loco dicere supersedeo. Id unum addiderim Maehlyum, quamquam opera eius in universum spectanti haud leniter est vituperanda, tamen complures locos feliciter emendavisse atque interdum ipsum id quod coniectura invenerat Rothmalerus assecutum esse. Denique L. Muellerus in censura editionis Maehlyanae, quam modo commemoravimus, alios huius carminis locos probabiliter restituit, alios ut est homo multae ac variae lectionis locis similibus allatis egregie illustravit. Iam vero cum et ipse haud pauca, quae ad carmen emendandum atque illustrandum conferrent, invenissem, de quibus magna ex parte uberius exposui in censura libelli Maehlyani, operae pretium me facturum esse putavi, si totum carmen denuo typis describendum curavissem quam emendatissime ac prolegomenis instruxissem. Quae res utrum mihi prospere an secus cesserit, penes alios esto iudicium.

II. Postquam de codicibus curisque hominum doctorum in Orestis tragoedia vel emendanda vel illustranda positis quae ad rem faciunt explicavimus, iam de argumento huius carminis breviter oportet exponamus. Enarrat autem poeta easdem fere res, quae Orestia Aeschylia continentur, caedem Agamemnonis, poenas a matre Aegisthoque repetitas per Orestem filium, denique iudicium de matricida Athenis factum. Quam rem ita tractat, ut narrationi ipsi longius praeponat prooemium, quo multis ampullis et sesquipedalibus verbis usus argumentum carminis explicat non curans scilicet, quid dignum tanto ferat promissor hiatu. Deinde non Calliopen, sed Melpomenen invocat atque orat, ut tragicis descendat cothurnis ac divino spiritu mentem

suam concitet et permoveat. Narrandi autem principium capit ab Agamemnonis reditu post Troiam deletam. Qui cum in itinere aquilonibus delatus esset ad littora Taurica, praeda Mycenas praemissa ipse templum Dianae ingreditur precationem facturus. Ubi Iphigeniam filiam, quam ipse Aulide ad aram deae immolaverat, vivam incolumemque repperit atque ab ea qua ratione sit servata cognoscit. Sed cum dea rogata a patre, ut sibi filiam domum reducere liceret, id negavisset, tristis navi proficiscitur Mycenas. Inter ea classis regia praeda onusta advenerat; qua simul advecta Cassandra, quae Agamemnoni sorte obvenerat, dira edit vaticinia, quibus funestam cladem domus Pelopidarum praenuntiat. Perterrita igitur Clytaemnestra, quae iamiam speraret maritum e bello reversurum non esse, stimulante conscientia adulterii, quod commiserat cum Aegistho, consilium capit Agamemnonis occidendi atque hortatur moechum, ut secum caedem perpetret, ipsa viam sceleris monstrans. Quam cum comprobavisset homo ignavus, qui hostem a tergo potius quam a fronte aggredi mallet, animis resumptis fruuntur illicitis voluptatibus. Jam vero rex adest triumphali pompa in urbem inductus; qui cum thalamum intravisset, simulato cum gaudio exceptus ab uxore, mox fraude eius circumventus est. Nam cum ornatum militarem deponeret, tunica purpurea auro picta vertice clauso offertur ei ab uxore, qua implicatus rex dum caput exerere studet, ab Aegistho ex latebris exilienti misere obtruncatur. Corpus autem pede tractum ex regia iustis non persolutis nocte defoditur. Quibus expositis queritur poeta de sorte humana variis et subitis fortunae vicissitudinibus obnoxia atque eos, qui prospero utuntur fortunae flatu, admonet, ne nimium confidant deorum gratiae ac favori. — Agamemnone occiso cum parvolus Orestes etiam in capitis periculum adductus esset, Electra soror eum cum gaza Pelopidarum Troicaque praeda eidem navi, qua advectus erat rex, impositum Athenas ducit, ubi se litterarum studiis dat intima

familiaritate cum Pylade coniunctus. Sed Aegisthus diademate cinctus et indutus purpura Orestem quaerit in regia et thesauris regiis potiri cupit, quibus utatur ad regnum suum firmandum. Quos ubi cum puero subreptos vidit, magno afficitur dolore; sed Clytaemnestra solatur eum suas ipsius opes ostentans atque affirmans se facili negotio procerum animos conciliaturam esse mulieribus eorum per dona pellectis. Confirmatus igitur animo ille habenas regni arripit populo de caede regis inani tantum rumore querente. Musa deinde denuo invocata exponit poeta, cur regina Electram Orestemque fugientes non sit strenue persecuta. Dicit enim Dorylam, libertum Agamemnonis, eam dolo decepisse, qui cum nutritor esset Orestis pueros regis naufragio periisse finxerit seque solum nando in terram evasisse. Quod ut comprobaret, vestibus uvidis indutum venisse in regiam, ante consulto immersum in mare. Regina laetum nuntium muneribus cumulat ac populo mox convocato Agamemnonem iure occisum esse contendit, qui tanto bello gesto urbem vacuam fecerit civibus, Aegisthum autem pacis amantissimum esse, quo regnante otio omnibusque pacis bonis frui licere; illum dominum fuisse, hunc civem futurum esse. Sequitur iam acerrima in Aegisthum Clytaemnestramque invectio, cuius pars bona lacuna hausta interiit. Poeta enim dolens Aegisthum tam diu impunitum fuisse, hominum quorumdam improborum mentionem fecit, quos brevi tempore iusta facinorum suorum poena consecuta est. Deinde ad Clytaemnestram conversus maius eam flagitium commisisse dicit quam Medeam vel mulieres Lemnias, simulque illi opponit sanctas et pias mulieres, veluti Alcestin, quae pro coniuge suo mori non dubitaverit, et Euadnen, quae sua voluntate in eodem rogo cum mariti corpore viva combusta sit. Cum igitur Aegisthus, qui olim subulcus fuerat, quamquam homo rudis et sordidus, tamen nemine auso quidquam novare annos septem et menses octo regnavisset, nocte quadam famuli regii, ut consueverant, flentes

veniunt ad tumulum Agamemnonis. Tum Dorylas manibus regis evocatis, ut supplicium exigant a Clytaemnestra Aegisthoque, simul deos inferos implorat atque obtestatur, ut furias ultrices in maleficos immittant. Quae cum locutus esset, regis vox auditur ex imo sepulcro, qui mortem suam non inultam fore promittit, de ceteris autem Cassandrae praedictis fidem esse habendam dicit. Iam vero eadem nocte umbra Agamemnonis Athenas volat et ibi Oresti Pyladique dormientibus oblata excitat eos ad ultionem exigendam a caedis suae auctoribus, pollicita ministros Aegisthi eos communi consilio adiuturos esse. Expergefactus Orestes accingitur ad opus, quod iusserat pater, sed num a matre etiam repetat caedis poenas, vehementer dubitat. Quem iamiam eo inclinantem, ut unius Aegisthi sanguine manes patris placandos esse censeat, confirmat Pylades atque ambos supplicio afficiendos esse contendit. Postquam igitur amici sententiam suo assensu Orestes comprobavit, adulescentes duo gladiis solis armati callibus occultis proficiscuntur Mycenas. Quibus obviam factus Dorylas cognoscit Orestem amicosque et certiores facit de immutata famulorum fide et hortatur enixe, ut opus inceptum cito peragant. Itaque praemittitur ille nuntiaturus ministris quarta luce vindices adfuturos esse, quo die famuli portas, muros, aedes clam armati occupant, ne se malefici aut fuga subducere aut armis defendere possent. Orestes cum primo mane Mycenas venisset, urbem patriam salutat, deinde ingressus regiam ingenti cum gaudio excipitur a fidis ministris. Iam portae clauduntur, tuba signum datur; stupent adulteri atque atrociter minitatur Clytaemnestra ei, qui pacem ab ipsa promissam perturbare ausus sit. Et quamquam accurrit ancilla nuntians Orestem advenisse, tamen ei fidem non habent, donec in aula apparuit Pylades. Qui vehementisime invectus in sceleris auctores obtruncat Aegisthum corpusque eius post eandem portam, ubi olim prostratus erat Agamemno, proiectum securibus iubet concidi. Interea Clytaemnestra

iam sibi veniam datam esse existimans nihil sibi timebat sed occisum deflebat moechum. Verum subito adest Orestes, qui non curans precantem, ut aut parcat matri aut saltem Pyladis dextra ipsam super ossa Aegisthi interfici iubeat, crine trahit ad patris sepulcrum manibusque vocatis, ut accipiant inferias, occidit matrem frustra solem et elementa obtestantem. Quo facto obscuratur sol et candor diei in tenebras mutatur. Reversus in regiam Orestes rex salutatur a populo Aegisthum quidem damnante, sed clam culpante matris caedem. Proxima nocte nuntius affertur Oresti Hermionen, sponsam suam, a Pyrrho, Achillis filio, raptam esse. Quo nuntio accepto ille regnum Pyladi gubernandum tradit, ipse festinanter profectus occupat Pyrrhum templum ingredientem et obtruncat. Iam vero dum regno fruitur, subito agitatur a matris umbra, quae armis furialibus instructa eum ubique insectatur, donec eodem gladio quo matrem occiderat eam adortus est. Quo viso fugatur quidem umbra, sed ipse furore corripitur maximo; terretur enim hominis cuiuslibet praeter Pyladem facie matrem sibi offerri existimans et inter epulas regales cibum capessere prohibetur facibus visis. Atque ad eam calamitatem novus etiam accedit metus Molossi, Pyrrhi et Andromachae filii, adventu, qui patris occisi petit ultionem. Pylades igitur Orestem navi impositum ad externas oras mittit, qui cum ad littora Taurica delatus esset, deprehenditur et ex more gentis illius immolandus ducitur ad aram Dianae. Ubi ille, cum mentis suae compos factus Agamemnonis nomen saepius invocavisset, agnoscitur ab Iphigenia sacerdote et mortis periculo liberatur. Deinde cum furor rediisset, nocte fratrem purgat soror precatu et Dianae simulacro ablato cum eo in patriam proficiscitur. Quem cum adesse comperisset Molossus, accusat Athenis in templo Minervae de duplici caede et Pyrrhi et Clytaemnestrae; reus caussam suam orat et Pyrrhum ut raptorem iure occisum esse contendit, a matre vero se diis iubentibus et probantibus poenas

repetiisse. Duplex est sententia iudicum, sed reus albo Minervae calculo absolvitur. Negatur enim de caede matris, quam dii probaverint, legibus civilibus iudicari posse; ac videri deos Pyrrhi etiam caedem haud improbavisse. Dimissus igitur Orestes laeto clamore excipitur a populo et cum Pylade sororibusque duabus in patriam redit; simul thesauri regii Athenis Mycenas reportantur. In extremo carmine scriptor deos impense precatur, ut post tot alia scelera et post hanc triplicem scenam Mycenaeam, quae Graecorum famam profanet, suo iam parcant mundo atque scelerum usum arceant a miseris Pelasgis.

Iam vides haud pauca inesse in hoc carmine, quae a ceteris scriptoribus, qui Pelopidarum fata descripserunt, aut omnino non sunt tradita aut aliter narrata. Agamemnonem Troia capta redeuntem in Tauris Iphigeniam filiam repperisse, Orestis paedagogo nomen fuisse Dorylae, Pyladem amicum furentem propter periculum, quod ei instaret a Molosso, ad oras externas misisse, Molossum Orestem Athenis de caede postulavisse ac iudicium illud in templo Minervae quod est in arce habitum esse nusquam nisi in hoc carmine me legisse memini. Quae omnia utrum poeta ipse invenerit vel novaverit an ab alio quodam scriptore mutuatus sit, difficile est statuere. Sed insunt alia, quae magis etiam mira videantur legentibus. Etenim sicut ex versibus 112 et 232 intellegitur, scriptor opinatus est Mycenas oppidum ad mare situm esse. Nec minus mireris id quod v. 490 legitur 'Thebis vicina moenia'; nam quo modo ille dicere potuerit Mycenas Thebis vicinas esse, equidem non video, nisi forte statuendum est scriptorem latinum, qui de ingentibus tantum imperii Romani spatiis cogitare consuevisset, talia non sine contemptione quadam Graeciae parvae et angustae dixisse. Adde quod neque de genere neque de patria Pyladis ulla fit hoc in carmine mentio, quem tandem Athenis, quo confugerat Orestes, summa amicitia et studiorum communione coniunctum fuisse cum Oreste compe-

rimus. Denique Agamemnonis et Aegisthi personae, quales proposuit Orestis tragoediae scriptor, plane alienae sunt a stilo epico et aptiores ad risum movendum quam ad animos commovendos. Dubitabis enim profecto, utrum herois similem esse dicas an potius Thracis feri vel Scythae Agamemnonem illum, cuius imaginem poeta pinxerit his verbis usus (v. 239 sq.):

bellorum maculis rutilabat, sanguine pulcher,
grandis in aspectu, pugnarum horrore decorus.

Quibus adde ea quae Clytaemnestra v. 209 sq. dicit de coniuge:

bellorum maculis et crassam sanguine vestem
rex ferus indutus veniet.

Atque id magis etiam cadit in Aegisthi personam, quem scriptor, cum eum a matre expositum inventum et educatum esse a pastoribus legisset (cfr. Hyg. fab. 87), subulcum finxit rudem, sordidum, ignavum, ut mireris sane in legendo, qua arte homo ille foedus Clytaemnestrae amorem sibi conciliare potuerit (cfr. vv. 204 sqq., 219 sqq., 228, 274 sq., 336, 412 sqq., 478, 718 sqq.) [14]).

Jam vero quod ad carminis compositionem et orationem attinet, male provinciam suam administravit poeta, quem cum tumido illo prooemio legentium expectationem erexisset, ut Horatii verbis utar, ex fulgore dedisse fumum dicendum sit. Etenim neque totum carmen prudenti usus iudicio composuit neque singulas partes apte disposuit et explicavit. In aliis enim rebus enarrandis verbosior fuit,

---

[14]) Breviter attingam Enyo deam, quae eadem est ac Bellona Romanorum, v. 497 ita descriptam, ut omnino non differat a Furia. Cuius rei fortasse caussa est cultus ille deae Asiaticae, quae eadem Bellona dicta Sullae temporibus recepta est, quo de cultu vide quae exposuit Prellerus Myth. Rom. p. 734. Eadem autem ut dea, quae caede gaudet sanguineque effuso, opponitur Erinyi v. 789.

in aliis brevior atque obscurior. Sic ut exemplum afferam de Orestis itinere in Tauros fratreque ab Iphigenia agnito paucissimis verbis exposuit (v. 865 sqq.). Alterum summae brevitatis exemplum est versus 151: 'dixit et elisam retinent per transtra rudentes', quem cum obscurissimus sit diversis rationibus licet interpretari. Contra latissime se fudit scriptor in iis orationibus vel sermonibus, quibus personas in carmine suo usas fecit. Cuius rei documenta sunt sermones longiores Clytaemnestrae, latior oratio Dorylae ad sepulchrum Agamemnonis habita, denique orationes actoris reique in carmine extremo. Accedit quod scriptor neque ingenio poetico neque doctrina et studiis ita fuit instructus, ut par esset materiae tam gravi tractandae. Plerumque enim per humum repit, raro vel numquam assurgens, ac si quando attollit orationem, mox turpiter labitur nugis puerilibus delectatus. Maxime autem gaudet inani verborum pompa et omnis generis lenociniis, quibus oratio eius putide est ornata, in primis contentionibus et gradationibus et asyndetis. Quibus figuris eum uno alteroque loco haud inepte usum esse fatendum est, veluti in versu 276 a L. Muellero laudato 'et caret igne rogi, dederat qui Pergama flammis'; verum tales flosculos ex quovis fere poeta latino haud paucos licet decerptos proponere.

Haec igitur si sub uno aspectu posita consideraveris, intelleges inde nobis ansam dari coniciendi auctorem huius libelli fuisse adulescentulum ac sagaciter sane rem odoratum esse Pomponium Sabellicum, cum dixisset eum ex hoc ipso carmine poeticam auspicatum esse. Cuius sententia probata Haasius (p. 32) addidit videri illum rhetoricae iurisque studio in schola quadam dedisse operam ac quod et praecepisse magistros saepius et factitasse discipulos ex praeceptis constet, id ipsum etiam fecisse, ut carmen epicum exercitii gratia conderet, quo faciliorem nancisceretur dicendi copiam figurarumque et reliquorum ornamentorum

usum paratiorem, quarum rerum in grandi materia variam et largam esse facultatem [15]). Atque artis rhetoricae scriptorem fuisse studiosum ostendunt figurae omnis generis operose illatae in orationem atque uno eodemque loco cumulatae, qua re arguitur discipulus nec iudicio maturus nec satis usu exercitatus. Juris vero studium et declamandi consuetudinem indicant cum orationes, quas in carmine extremo habitas fecit a Molosso et Oreste, tum frequens eorum vocabulorum usus, quae in iuris disciplina vel forensi consuetudine versantur. Cuius generis sunt *reatus* (vv. 66, 929), *praescriptum* (v. 588; cfr. Quint. VII, 5, 3, Dig. LVII, 15, 3), *exhibere* (v. 887), alia.

Imitatus autem est scriptor in carmine suo maxime Vergilium, cuius ingens fuit apud omnes recentiores auctoritas. Sic eo loco, quo narratur Agamemnonis umbram Athenas profectam apparuisse Oresti dormienti (v. 514 sqq.), sine dubio ante oculos habuit narrationem illam de Hectoris umbra Aeneae in somniis oblata (Aen. II., 268 sqq.). Alter locus, qui ad exemplum episodii Vergiliani (Aen. IX, 368 sqq.) conformatus est, continetur vv. 625—642, quibus Orestis in patriam redeuntis iter nocturnum describitur. Sed longe maior est eorum locorum numerus, ubi vel singulos versus Vergilii vel dicendi formas imitando expressit scriptor. Cuius generis sunt hi loci, quorum nonnullos iam indicavit L. Muellerus: v. 54 et mens sibi conscia pravi (Aen. I, 604 et mens sibi conscia recti), v. 105 retroque pedem cum voce coercet (Aen. II, 378 retroque pedem cum voce repressit), v. 168 moriemur inulti (Aen. II, 670), v. 580 dentibus infrendens (Aen. III, 664, X, 715), v. 615 felle doloris (Aen. VIII, 220 felle

[15]) Eius modi fere carmen exercitii causa compositum est declamatio Octaviani cuiusdam, Crescentini filii, quam edidit M. Hauptius in actis soc. litt. Saxon. 1847, p. 211 sqq.

dolor), v. 816 obtruncat ad aram (Aen. III, 332 obtruncat ad aras), v. 833 omnibus ipsa locis adero tibi saevior umbra (Aen. IV, 386 omnibus umbra locis adero), v. 926 vocet in certamina divos (Aen. VI, 172 vocat in certamina divos). Praeter Vergilium in primis Ovidium, Lucanum, Statium lectitavisse videtur Orestis auctor; ex Ovidio enim (Met. VIII, 475) sumpsit oxymorum v. 8 impietate pium, quo prooemium carminis exornavit, ex Lucano (VII, 202, VIII, 33) initia versuum 682 et 865; Statio (Theb. I, 100) debentur virginei cerastae, quos commemorat scriptor v. 484, aliis quoque locis descriptionis Statianae aperte imitando expressis. Denique omittendum non est, id quod animadverterunt Haasius et L. Muellerus, scriptorem ex tragoediis etiam, quae sub Senecae nomine feruntur, nonnulla in usum suum convertisse. Sic et digressio illa de sortis humanae infirmitate deorumque invidia (v. 270—282) haud dubie expressa est ex prologo Troadum et narratio de fraude Clytaemnestrae caedeque regis (v. 252 sqq.) simillima est eis quae vaticinatur Cassandra apud Senecam Agam. 873 sqq.; quibus addendus est versus 25 'ductorum ductor, regum rex dux Agamemnon', quem ab illo Senecae Agam. 39 'rex ille regum, ductor Agamemno ducum' profectum esse nemo puto negaverit.

Sequitur ut quaestione difficiliori de tempore, quo compositus esse videatur hic libellus, in posterum dilata iam in duas res quae huc pertinent breviter inquiramus. Quaeritur enim quam patriam habuerit poeta quamque de rebus sacris doctrinam sit secutus. Ac de priori loco ita disseruit Maehlyus (p. XIII), ut eum Graecum fuisse hominem contenderet. Cuius sententiam, quamquam eam probavit L. Muellerus (p. 455), ego prorsus reiciendam esse existimo. Etenim si Maehlyus exitu huius carminis, in precationem pro universa Graecorum gente flexo, id quod proposuit confirmari opinatur, mea quidem sententia in maximo

versatur errore. Nihil aliud enim ex his verbis effici potest, nisi quod fingere voluit poeta se eodem tempore cum Oreste, quem hoc carmine celebrat, vixisse. Id quod verum esse facile intelleges his versibus accuratius perlustratis:

ecce Mycenaea triplex iam scena profanat
Graiugenum famam; vestro iam parcite mundo
atque usum scelerum miseris arcete Pelasgis.

Vides poetam ita loqui ac si aequalis sit temporibus illis heroicis; orat enim deos, ut post tantas in Pelopidarum gente caedes iam finem faciant scelerum Graecisque reddant tranquilla ac beata otia. Alia autem quae protulit Maehlyus ad confirmandam sententiam suam de verborum graecorum usu apud Orestis auctorem levissima sunt. Quis enim credat Maehlyo affirmanti *poli* in versu 924 dativum esse vocabuli graeci *πόλις*, cum haud dubie sit genetivus vocis *polus*, coniungendus cum *deum* ita ut *dii poli* iidem sint ac *dii caeli* vel *dii caelestes*. *Oestra* vero quod coniectura restituit Maehlyus v. 593, prorsus improbandum est; sanissima enim si quid video est codicum scriptura 'obsidet et tremulis haec (scribendum *his*) vocibus astra lacessens', confirmata loco Silii Italici (XVII, 386) 'clamore lacessunt sidera.' Quid quod nec desunt argumenta, quibus impugnes sententiam a Maehlyo propositam. An credas scriptorem, qui Mycenas ad mare sitas Thebisque vicinas esse dixerit, qui iudicium de Oreste in templo Minervae quod est in arce habitum esse finxerit, Graecum fuisse hominem. Numquam profecto ille Athenas vidit, qui in carmine, ubi decies fere urbem illam commemoravit, nihil aliud de ea rettulerit nisi arcem ibi cum templo Minervae et scholam esse. Adde quod vix credibile est Graecum hominem scripsisse *Egistum* prima simul syllaba correpta vel legitima nominum *Pyladis* et *Iphigeniae* mensura neglecta plane vitiosam adhibuisse, qua de re mox accuratius nobis dicendum erit. Tantum abest igitur, ut scriptorem Graecum fuisse putemus, ut si qua coniectura facienda est

eum ex Africa oriundum fuisse suspicemur; tanta enim est huius libelli cum carminibus Corippi Luxorii ceterorumque poetarum Africanorum similitudo [16]).

In altera re quam iam in quaestionem vocabimus tractanda notandum est ante omnia scriptores inferioris aetatis inde a saeculo quarto post Christum natum haud raro antiquas illas de rebus divinis doctrinas confudisse ita cum novis religionis christianae dogmatis, ut haud facile discernas, utrum illi iam legem christianam secuti sint an deorum cultui adhuc addicti fuerint et dediti. Qua de re cum Boeckingius apte disseruerit in editione quam curavit Ausonii Mosellae (Berolini 1828, p. 42; cfr. Niebuhrii praef. in Merobaudis carminum reliquias, ed. alt. p. X), non est quod hoc loco plura verba faciam. Id quod in hunc quoque cadit scriptorem, quem saeculo sexto vixisse in tertia disputationis nostrae parte docebimus. Is enim in carmine suo ut postulabat operis suscepti ratio studiosum se praebuit deorum antiquarumque de rebus divinis doctrinarum cultorem. Qua in re praecipue dignus est qui afferatur locus de deorum invidia (vv. 278–280):

sunt faciles dare summa dei, tamen inde relinquunt,
et miseris in fine nocent aut forte repente
destituunt poenasque petunt de sorte secunda,

quas sententias expressas esse ex prologo Troadum iam supra diximus. Insunt tamen nonnulla, quae abhorrent ab antiqua consuetudine et propius accedunt ad legis christianae dogmata, veluti id quod v. 946 legitur *clementia caeli* vel invocatio illa v. 356 sq., ubi post *deos maris et terrae* etiam *pietas et origo polorum naturae caelestis amor* commemorantur. Quae cum ita sint, temere non esse assentiendum Haasio intelleges, qui quin alienus fuerit poeta a fide christiana, minime dubium esse affirmet (p. 26).

[16]) Dignum praecipue quod cum Orestis tragoedia conferatur est carmen Florentini Anth. lat. ed. Burmann. II, p. 628.

Quibus expositis id unum restat, ut de carminis inscriptione, quae prima specie sane admirabilis videatur, quaedam adiciamus. Patet autem hac in re soli libro Bernensi, in quo hoc carmen inscriptum est *Orestis tragoedia*, fidem habendam esse, nihil autem tribuendum codici Ambrosiano, ubi vocabulo immutato legitur *Orestis fabula*, vel L. Muellero, qui nihil aliud nisi *Orestem* ab auctore profectum esse contendat, *Orestis tragoediam* vero librario cuidam deberi [17]). Immo verissimam esse illam in libro Bongarsiano inscriptionem docet Melpomenes musae invocatio (v. 13 sq.), quae si probaveris Muelleri sententiam nullo modo potest explicari, servata autem codicis Bernensis scriptura facilem habet explicationem. Etenim cum poeta Agamemnonis caedem ultionemque sceleris a filio exactam carmine epico describere constituisset, intellexit argumentum illud a tragicis praecipue poetis tractatum esse. Legerat enim ille, ut supra vidimus, Senecae quae feruntur tragoedias atque alias quoque sine dubio eius modi fabulas eadem aetate conscriptas, fortasse etiam Attii Aegisthum et Clytaemnestram ac qua de re magis videtur dubitandum esse, eiusdem argumenti fabulas ab Aeschylo Sophocle Euripide conditas. Quae cum ita essent, et carmen suum inscripsit *Orestis tragoediam* et initio Melpomenen musam, non ut solent poetae epici Calliopen invocavit his verbis usus, quibus satis opinor confirmatur interpretatio nostra:

Te rogo, Melpomene, t r a g i c i s d e s c e n d e c o t h u r n i s
et pede dactylico resonante quiescat iambus.

III. Venimus iam ad eam partem disputationis nostrae, in qua de tempore quo scriptum sit hoc carmen nobis accuratius agendum est. Id autem, cum nihil extrinsecus

[17]) p. 465.

nobis traditum sit, ex ipso tantum carmine explicari potest proprietatibus omnibus et ad sermonem et ad rem metricam spectantibus, quae in hoc carmine reperiuntur, diligenter collatis et pensitatis. Quo loco non est quod pluribus verbis dicam me omnia quae viri docti de iis rebus annotaverunt in usum meum convertisse, ita tamen ut supplerem omissa et collata corrigerem. Priori igitur loco de iis quae propria et peculiaria sunt sermonis mihi dicendum est. Cuius rei initium capiamus a nominum flexura, ubi in primis notandus est accusativus numeri pluralis *gaza* v. 289 (Troica gaza reportat) ita formatus ac si nominativus sit non *gaza*, sed *gazum*. Ac vitiosa illa forma *gazum* legitur iam in Commodiani scriptis, qui duobus locis (III, 13, 13, II, 30, 14) usus est dativi et ablativi forma *gazo*, et *pia gaza* eodem casu quo adhibuit auctor Orestis positum reperies in Corippi laud. Just. IV, 332. At vero nihil offendendum est cum Maehlyo in ablativo *marĕ* bis posito v. 363 et 369, cum eandem formam usurpaverint et Lucretius (I, 161) et Ovidius (Trist. V, 2, 20, Pont. IV, 6, 46), ac miror sane, quo modo ille (p. XVII) affirmare potuerit talis licentiae nullum exemplum in quoquam priorum aetate scriptorum extare et in Sedulii demum poematis talia inveniri. Minus quidem grave quam illud *gaza*, at certe memorabile est, quod scriptor casum sextum vocis *securis* esse voluit *secure* (v. 213), quamquam eundem casum vocabuli *bipennis* bis fecit in *i* exeuntem (vv. 341, 521). His adde ablativum *humo* v. 347 (nec pede tractus *humo* iacuisset) positum pro locativo *humi*, cuius usus alterum inveni exemplum apud Ammianum Marcellinum XXIV, 3. Denique notanda est hoc loco forma *dua*, quam ut barbaram reicit Quintilianus (I, 1, 15). Vides igitur scriptorem his in rebus non multum recessisse ab incorrupta latini sermonis integritate. Neque vero plura in verborum quae proprie dicuntur declinatione licet deprehendere. Nam quod v. 168 legitur futurum *periet*, id ut alia omittamus satis defenditur

Horatii Tibullique exemplis, quorum alter *exiet* (Carm. IV, 4, 65), alter *transiet* (I, 4, 27) dicere non dubitavit. Minus vero placet forma *subientem* (v. 815), quae quamquam confirmatur titulo apud Muratorium (337, 5), ubi *ientibus* legitur, tamen novissimis demum temporibus orta esse videtur. His adde perfectum *furui* (v. 846), insolitum quidem, nam praeter hunc locum non legitur nisi in Corippi Johann. VII, 137, sed legibus grammaticis non repugnans.

Jam vero de verborum constructione age ea quae ad rem faciunt breviter exponamus. Qua in re primum mentionem faciam verbi *peto* cum duplici accusativo et personae et rei coniuncti (v. 523), quae constructio peculiaris est verborum poscendi, postulandi, rogandi, quamquam iam *illud te peto* legitur in epistula Dolabellae ad Ciceronem (ad div. IX, 9, 2). Tum notandus est locus memorabilis v. 253 et 254 'dixit et exutum tutanti tegmine *regem* callida funereo perfundit *corpus* amictu', quo loco nolim cum Haasio (p. 36) de accusativo absoluto vel de anacoluthia quadam cogitare, sed *corpus* accusativum quem dicunt appositionis esse existimo ita, ut in ea constructione, quam vocant τὸ σχῆμα καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος, duo accusativi consociantur. Ceterum lubenter concedo constructionem illam non minus esse mirabilem, quam *nocturna cubantem* v. 394, quod nullo pacto comparari potest cum eis quae leguntur v. 365 *funesta plangens*, v. 616 *iuvenale fremens*, v. 902 *censete severa*. Deinde dicendum est de singulari plane usu genetivi v. 440 *pia coniugis*, ubi ex communi more expectaveris potius *pia in coniugem*, qua cum dictione similitudo quaedam est ei quae legitur v. 893 *sacrilegum superum*. Accedit frequentissimus usus praepositionis *de*, qui cum iam in prisca lingua satis longe patuisset, inferiori aetate latius etiam manare coepit. Sic in versu illo, quem modo commemoravimus, verba *inpia de se* accurate respondent eis quae praecedunt *pia coniugis*; alterum exemplum continetur v. 542 'crimina purgabit

matris *de* tempore prisco', cui similem quem afferam locum non habeo, tertium vero quod ut minus aptum reprehendit Maehlyus (p. XIX) v. 886 'accusat *de* gemino crimine Oresten' minime vitiosum esse intelleges, si comparaveris Cic. pro Cluent. 41, 114, pro Rosc. Am. 32, 90. Adde singularem praepositionis *de* usum v. 431 '(Medea) viduata viro *de* pellice Glauce', ubi *a pellice* vel *per pellicem* dictum malueris, sed haud absimilia sunt exempla, quae congessit Handius Turs. II, p. 217 sq. Denique notanda est dictio *nihil de aliquo mereri* v. 752, cuius alterum exemplum me legisse memini apud Capitolinum Pert. 13, 6. Eodem fere modo luxuriantem reperies hoc in carmine praepositionem *per*, quam iam poetas aetatis augusteae ita usurpavisse, ut pro *in* accipi posset, docuit multis exemplis allatis Handius Turs. IV, p. 434. Illius igitur usus in Orestis tragoedia extant haec exempla: v. 193 unaque natarum cinis est *per* templa Dianae, 464 *per* templa precantis; 332 trucem *per* proelia Martem, quibus addendum id quod coniectura restitui v. 71 posita *per* tempora vitta. Singularis etiam locutio est v. 832 *obstrue per calcem*, qua num ullus bonus scriptor usus sit, equidem vehementer dubito. — Praeter eas quas modo nominavimus praepositiones adamavit scriptor quoque voculam *sub*, quam saepius et nonnumquam inepta etiam ratione usurpavit, veluti v. 161 *sub* fraude latenti, 337 extinctum *sub* fraude, 391 *sub* morte securis, 418 data *sub* pastore tyranno, 492 *sub* luce diurna, 527 *sub flore*, 530 *sub* crimine multo, 798 regis *sub* honore, 934 *sub* iure deum, *sub* sorte benigna. Sed nulla alia constructione ita usus vel ut rectius dicam abusus est scriptor, quam dativo cum verbis eundi et quae sunt similia coniuncto. Quae constructio cum apud optimum quemque poetarum latinorum haud raro legatur, ita tamen ut accusativus multo sit usitatior, poetae recentissimi eam temere adhibere solent accusativo ubique fere exterminato. Id quod in hunc etiam cadit scriptorem, qui eam quater decies usur-

paverit (vv. 46, 156, 241, 244, 286, 355, 362, 385, 412, 455, 515, 802, 887, 954) atque iis etiam locis, ubi posita illa ambiguitas quaedam exoriatur necesse est, veluti vv. 156 et 412. Quorum in priori cum Maehlyus (p. XXII) *domo* in *domum* commutavit, alterius, fratris ut ita dicam gemini, plane immemor fuit. Eadem ut dativi ratio est gradus comparativi, quem saepissime nec raro satis inepte positum deprehendere licet pro positivo, veluti v. 12, 58, 77, 88, 136, 606, 833. Denique breviter tangam pronomen *vester* de una tantum persona dictum (v. 76, cfr. Capitolin. Ver. 11, 4) et pronomen *suus* iis locis positum, ubi leges grammaticae requirebant pronomen demonstrativum (vv. 392, 534, 590, 622, 819, 894, 901). Et *suus* hoc modo probatissimi etiam usurpaverunt scriptores, verum neque tam frequenter neque temere, id quod fecit auctor Orestis pluribus locis, in primis v. 622.

Ad haec autem argumenta, quibus iam satis opinor, comprobatur hoc carmen novissimis demum temporibus conscriptum esse, alia accedunt atque etiam graviora. Si enim reputaveris, quo modo usus sit scriptor temporibus verborum, intelleges eum in hac re non sanae grammaticae legum, sed versuum tantum pangendorum curam habuisse. Sic ut exempla nonnulla afferam, statim v. 4 *iugularat* dixit pro eo quod sana ratio postulat *iugulavit*, v. 688 non *satiabo* dicendum fuit sed *satiaro*, id quod necessarium est propter futurum praecedens 'sed post veneranda manebis'; v. 801 inepte positum est *nec fuerat quisquam* pro *nec fuit quisquam* atque eadem fere ratione v. 865 *fuerant ubi templa Dianae*, quo loco haud dubie requiritur imperfectum. Alia autem quae notaverunt Maehlyus et L. Muellerus ac partim emendare conati sunt, talia esse videntur, quae aut defendi aut certe excusari possint. Nam si v. 873 *hostia dic quis eras* imperfectum pro praesenti positum esse censet Maehlyus, non intellexit scriptorem significare voluisse miseram captivi immolandi condicionem, qui iamiam cinis futurus

neque nominis neque stirpis suae amplius habeat potestatem. Neque offendendum esse puto in plusquamperfectis *terruerant* (vv. 152, 823), quibus locis L. Muellerus et Maehlyus restituerunt perfectum *terruerunt*, et *immerserat* (v. 723); nam *terruerant* utroque loco defendi potest, si cogitatione suppleveris v. 152 'iam tum cum Cassandra vaticinium suum edidit' et altero loco 'cum primum umbra apparuit'; *immerserat* autem v. 723 dictum est ad celeritatem significandam (cfr. v. 108). Praeter ea, quae modo exposuimus de temporum usu, hoc loco commemoratione dignissimum est v. 128 et 582 verbis incohativis *pulcrescere* et *tepescere*, quae natura sua neutra sunt, transitivam tribui vim, qua de re iniuria dubitare videtur L. Muellerus (p. 460 et 463). Talis autem usus vestigia, quantum equidem scio, in uno tantum verbo *suesco* compositisque, veluti *mansuesco*, *assuesco* et quae sunt similia deprehenduntur (cfr. Tac. Ann. II, 52, Varr. de re rust. II, 1, 4), quibus fortasse, addendum *labasco* (cfr. Varr. apud Non. p. 473, 9 postquam vidit misericordia *labasci* mentem populi); in ceteris verbis incohativis nihil omnino id genus invenitur. Adde quod etiam verbum *mergere* intransitive positum esse videtur v. 372 'vidi ego *mergentem* fluctu sorbente carinam', quamquam participium illud potius ad passivum *mergi*, quod pro verbo deponenti habuerit scriptor, pertinere mihi persuasum est. Illud vero profecto mirandum est, quod Maehlyus (p. XXIV) reprehendit versum 707, ubi de ancilla, quae Clytaemnestrae Orestis adventum nuntiavit, dictum est 'sed statim *credita non est*'. Nam etiamsi communis loquendi usus postulat *ei creditum non est*, tamen poetae, veluti Vergilius Ovidiusque, quorum posterior hanc constructionem permultis locis usurpavit, Graeci sermonis consuetudinem, qua dici solet *πιστεύομαι ὑπό τινος*, haud raro sunt secuti.

Constat particulam *quod* a scriptoribus inferioris aetatis haud raro poni post ea verba, quae aut nunquam

cum ea copulantur aut ita tantum, ut multum intersit inter illam constructionem et eam quam dicunt accusativi cum infinitivo. Qua de re ne longior sim, te ad ea delego, quae Sanctius Min. p. 498 sqq. (editionis quae prodiit anno 1752) et Reisigius Praelectt. de lingua lat. p. 600 sqq. uberius disputaverunt. Eius modi igitur aetatis iam labentis vestigia in hoc quoque carmine deprehenduntur haud pauca, veluti *quod* copulatum cum coniunctivo post verbum credendi vv. 128 et 274, cum indicativo post verba fingendi et videndi vv. 354 et 868, quibus accedit v. 529 'non pudet *quod* pastor mea regna tenet', si fides habenda est L. Muelleri coniecturae *quod . . . tenet* pro eo quod in codicibus legitur *ut . . . notet* restituentis. Verum plane peculiaris atque abhorrens ab omnium omnis aetatis scriptorum consuetudine est usus particulae *quia* in eius modi enuntiatis (vv. 672 et 759), cuius constructionis ex nullo etiam infimae aetatis scriptore exemplum proferre licet nisi ex latina librorum novi Testamenti interpretatione, quam Vulgatam vocant, ubi Graecorum ὅτι post verba sentiendi, dicendi aliaque id genus promiscue redditur particulis *quod, quia, quoniam.* Adde peculiaria haec in constructione infinitivi: accusativum cum infinitivo pendentem a verbo quaerendi v. 628 'quaerentes ausa latere', ubi expectaveris potius 'quaerentes ausa abscondere vel celare', infinitivum aptum ex verbo disponendi v. 154 'facinusque parare disponit', quae constructio legitur quoque apud Palladium April. 2, 1, similemque verborum conformationem v. 320 'veteresque trahemus in nostram transire fidem', quod tametsi nullo confirmatur exemplo, tamen haud ineptum videtur, denique infinitivum coniunctum cum adiectivo *facilis* v. 278, cuius loquendi usus alterum extat exemplum in Claudiani cons. Honor. IV, 514. Neque vero reprehenderim poetam, quod vv. 99 et 525 infinitivo usus sit, ubi scriptor prosaicus ponere debebat particulam *ut* copulatam cum coniunctivo; ea enim constructio, quae ex Graeci

sermonis fluxit imitatione, haud raro invenitur in poetarum latinorum operibus (cfr. Verg. Aen. I, 527 cum nott. interpp.). Atque his annumerandus etiam est infinitivus v. 402 'unica mors restat morbis *finire* salutem', cuius loco in prosa oratione dixeris 'quae vitam morbis finiat'. Sed mirum sane est id, quod v. 948 legitur 'quis temerator erit caelestia iura movere', nec levis profecto est suspitio hoc loco ulcus latere, quod removere conatus est L. Muellerus coniciendo 'quis temere auctor erit c. i. m.'

Nihil autem apertius indicat carmen de quo agimus inferioris aetatis fetum esse quam coniunctionum *nam* et *vel* usus a genuina latini sermonis consuetudine plane diversus. Ac particulam *nam* a scriptoribus inquinatae latinitatis saepius esse interpositam, ubi aliis erat continuanda oratio, iam animadvertit Handius Turs. IV, p. 22 (adde Haasium ad Gregor. §. 17. p. 32). Qui usus particulae *nam* saepius reperitur hoc in carmine, cfr. vv. 380, 435, 510, 676, 938. De particula *vel*, quae eadem significatione atque *et* adhibetur a talibus scriptoribus, accurate exposuit Haasius ad Gregor. §. 64, p. 49, Miscell. phil. II, p. 27. Cuius usus satis perversi plura quoque in Orestis tragoedia extant exempla, cfr. vv. 39, 270, 361, 504, 529, 564, 648.

Iam vero his expositis de vocum formatione et compositione pauca quaedam adiciamus. Qua in re primum commemorandum est scriptorem maxime delectatum esse adiectivis in *alis* exeuntibus, quod ut comprobem, indicem eorum hoc loco subicio: coruscalis (243), decennalis (506), diademalis (259, 318), furialis (474), iugalis (247), iuvenalis (615), legalis (890, 945), maritalis (237, 432, 539), matronalis (420), medicinalis (vv. 20, 922), Minervalis (34), mortalis (496, 822), pastoralis (269), poenalis (305), regalis (24, 140, 415, 455, 647, 655, 852), rogalis (406), triumphalis (138), vitalis (171). Ac *coruscalis* ipsius scriptoris inventum est ineptissimum, alia veluti *decennalis*, *diade-*

malis, *Minervalis*, *poenalis* non leguntur nisi apud scriptores recentiores (cfr. Tertull. de spect. 11, Hieron. adv. Iov. I, 48, Salvian. Avar. II, 10, Dracont. II, 31), *iugalis*, quod v. 247 idem valet atque *uxor*, hanc vim novissimis demum temporibus nanctum est (cfr. Venant. Fort. VI, 2, 76, Anth. lat. II, 138, quibus locis iugalis idem sonat ac *maritus*). Adde quod scriptor nonnullis eius generis adiectivis praeter consuetudinem usus est; sic v. 171 dixit *vitalem salutem* pro *vitae salutem*, vv. 237 et 539 *morte maritali* pro *morte mariti*, v. 420 *matronale nefas* pro *nefas matronae*, v. 890 *legalis origo* pro *origo legum*; pro *medicinalem salutem* v. 922 potius dicendum erat *medicam salutem*, *mortalis* v. 496 et 822 vim activam habet, ut idem significet ac *mortiferus*. Notandum praeter ea est adiectivum *plectibilis* v. 425, quod legitur apud Sidonium Epist. IV, 6 et in codice Theodosiano XIV, 3, 16, XII, 1, 161 ita, ut modo vim passivam modo activam habeat, modo idem sit ac *poena dignus*, modo *poena afficiens*, cum hoc loco sine dubio eum qui *verberibus dignus* sit significet. — In vocabulis componendis, quae res Quintiliano teste (I, 5, 70) magis Graecos decuit, Romanis minus successit, non prorsus infeliciter versatus est Orestis auctor. Etenim epitheton Apollinis v. 85 *plectiger*, cuius fortasse ipse fuit inventor, haud male excogitatum esse nemo non concedet; nec ineptum est *planctiger* v. 117 eodem modo ut *luctifer* formatum. *Fluctivagus* autem, quod posuit ille v. 43 'candida fluctivagi tendebant carbasa venti', legitur iam apud Statium Silv. III, 1, 84, Theb. I, 271. Quod appositum cum Statius coniunctum cum vocibus *nauta* et *unda* usurpavisset passivam ei subiciens notionem, auctor autem Orestis activam ei tribuisset vim ventos per fluctus vagantes significans, Maehlyus (p. XIII) acrius in hunc invectus est ut rudem imperitumque plane linguae latinae. Id quod temere fecit; nam si *montivagae ferae* dicere potuit Lucretius (I, 404), cur non sensu activo ponere

licuit *fluctivagus?* Immo magis placet *fluctivagi venti* quam *undivagi fluctus* (v. 362), quod et ipsum tempora recentiora redolet et praeter hunc locum tantum in Corippi Iohannide (VI, 342 latices undivagi, VII, 344 salum undivagum) et in epigrammate Palladii (Anth. lat. V, 7 Thetis undivaga) reperitur. Denique hoc loco commemoranda sunt verba cum vocula *re* composita, quorum loco verba simplicia malueris usurpata, veluti *reperdo* (v. 196) et *recerpo* (v. 396). Quae cum his tantum locis legantur, animadvertendum est haud pauca eius generis ἅπαξ εἰρημένα extare in scriptorum recentiorum libris, veluti *reclango*, *recogo*, *recompingo* alia.

Sequitur ut de singulari vocum quarundam usu quae ad rem faciunt breviter exponamus. Notandum igitur primum vocabulum *virginitas* in versu 11, quo *Thracia virginitas* idem valet ac *Thracia virgo.* Id quod cum sane quam putidum sit atque ineptum, tamen in tali libello quodam modo excusari potest simili usu vocabulorum *deitas* et *maiestas* apud scriptores inquinatae latinitatis (cfr. Prudent. Apoth. 144, August. de civ. dei VII, 1, Symmach. Epist. X, 16). Deinde dicendum est de vocabulo *complex*, quod eo sensu, quo usurpavit illud Orestis tragoediae auctor v. 677 et 756, ubi *sceleris complex* idem sonat ac *sceleris particeps*, primum apud Ambrosium de off. III, 4 reperitur. Accedunt verbum *praesumere* eo sensu dictum, ut vim habeat verbi suscipiendi vel audendi (quo sensu a scriptoribus recentioribus adhibetur, veluti a Sexto Rufo 7, ab auctore panegyrici in Constantinum 2, a Sulpicio Severo Hist. Sacr. I, 47) et adiectivum *impunis* (v. 949), quo usus est etiam Appuleius Met. III, 6, ceteris scriptoribus adverbium *impune* praeferentibus. Novicia praeter ea sunt *adoratus* (v. 464; rectius dixeris *adoratio*), *palmatus*, quod v. 111 ponitur pro *palmis ornatus*, *sponsare* v. 77 ita usurpatum, ut significet *nuptiis ambire*, cum vocabulum recens *sponsare* potius idem sit ac *spondere* (cfr. Tert. vel. virg.

11, Dig. XXIII, 2, 38). His adde verbum *tracto* insolito modo adhibitum v. 333 (de sexu femina tracto), miras dictiones *gaudia plorare* (v. 63), *praedari rapinam* (v. 807), *turis alumna* (v. 82); agmen claudat ineptum *sidereo tempore* (v. 555), effictum illud ex Ovid. Met. IV, 469 (siderea luce).

Quae cum, si ea collata sub uno adspectu posuerimus, ansam nobis dent coniciendi auctorem Orestis novissimis demum temporibus vixisse, alia argumenta, quibus sententiam illam confirmare licet, silentio non sunt transeunda. Etenim iis locis, ubi vehementes animorum commotiones vividis depingere voluit coloribus scriptor, multa substantiva cumulata congessit nullis particulis copulativis interpositis. Eorum igitur asyndetorum, quibus aetatis illius versificatores mirum quantum delectati sunt, permulta ac satis inepta ex hoc carmine proferri possunt exempla. Sic Clytaemnestra iamiam moribunda exclamat v. 774 sqq.:

sol pietas elementa poli mare flumina tellus
et rerum natura parens tuque atra vorago,
haec spectate vices nato redhibente parenti,
quod genitus fuerit, mercedem cernite lactis.

Alterum exemplum praebet oratio Orestis dubitantis, utrum in vindicta exigenda etiam matrem an adulterum solum afficiat supplicio, ubi v. 557 sqq. haec leguntur:

pectora cor sensus animum praecordia mentem
conturbat pietas dolor angor maeror origo
affectus natura pudor reverentia fama.

Eadem ratione breves sententias coacervare solet scriptor veluti in initio carminis v. 17 sqq.:

quem dolor accendit, pudor excitat, erigit ira,
mens levat, adtollunt animi, bonus impetus urguet.

Neque exigui opinor in hac quaestione dirimenda est usus alliterationis, quam ut necessarium quoddam orationis ornamentum immodice adhibuit poeta. Qua de re conferas velim v. 5 *regali rutilantia,* v. 6 *diadema ducis,* v. 7 *matris . . . memorem,* v. 8 *pium pravae probitatis,* denique ne te pluribus teneam exemplum sane quam luculentum v. 213 *finde secure caput cervicem colla cerebrum.*

His igitur expositis iam ad alteram disputationis huius partem, quae versatur in rei metricae rationibus illustrandis, aggrediamur. Quam rem ut breviter absolvamus, ea quae propria et peculiaria habet Orestis tragoedia paucis explicabimus libri luculenti, quem de re metrica poetarum latinorum conscripsit L. Muellerus, paginis accurate indicatis. Ac primum quod attinet ad leges prosodiacas, non tam longe recessit scriptor a poetarum meliorum consuetudine quam ceteri infimae aetatis versificatores, qui nonnumquam summa usi sunt licentia in syllabis aut corripiendis aut producendis. Etenim ut initium faciamus a formis nominum verborumque in *o* exeuntibus, in quibus syllaba ultima prioribus temporibus rarissime correpta inde a Vergilii Horatiique aetate magis magisque breviari coepta est (cfr. L. M. p. 335 sqq.), notandum est *o* finalem ab auctore Orestis corripi bis in nominativis substantivorum (*formido* et *verbero* vv. 421 et 425), tricies fere in prima persona numeri singularis temporis praesentis vel futuri, ita tamen ut in verbis septies *o* longa retineatur, cfr. v. 96 *dabō,* 182 *iubeōque rogōque,* 489 *dubitō, petō,* 510 *erō,* 833 *aderō.* Praeter ea brevi syllaba finali efferuntur et imperativi *itŏ* (v. 666), *satiatŏ* (v. 575) quemque coniectura restituit Maehlyus (v. 375) *estŏ,* et ablativi gerundiorum *vibrandŏ* (v. 225), *linquendŏ* (v. 513), *laniandŏ* (v. 906),

cfr. L. M. p. 339. His adde correpta syllaba ultima *citŏ* (v. 142, sed v. 60 legitur *citō*), *modŏ* (v. 715), *nemŏ* (v. 800), *retrŏ* (v. 506), de quibus *citŏ* et *modŏ* iam apud Horatium (Epist. II, 3, 335) et Catullum (1, 2) extant, *nemŏ* autem et *retrŏ* non inveniuntur nisi novissimis demum temporibus. In ceteris vero vocabulorum terminationibus nullam, cuius mensura abhorreat ab optimorum poetarum usu, reperio, nisi quod *Pylades* bis (v. 516 et 709) positum est ultima brevi, id quod Sedulium demum vel Maximum fecisse recte animadvertit Maehlyus (p. XXXIII, cfr. L. M. p. 342). Tum notanda est syllaba *re* producta in *recerpo* (396) et *reperdo* (196), qua de re accurate exposuit L. M. p. 361 sqq., et vox *statim* longa priori syllaba adhibita, cuius usus alia sunt exempla apud Avienum Arat. 398 et Alcimum Avitum II, 180. Deinde commemorandum est in eis vocibus, ubi tres breves syllabae concurrant, nonnumquam aut primam aut alteram earum produci, id quod haud raro metro cogente fecerunt poetae recentiores (cfr. L. M. p. 354 sqq.). Sic v. 52 dictum est *turībula,* v. 571 *exīmeret,* v. 655 *fāmilia,* v. 660 *muliērem.* Denique mentionem faciam de nominibus Graecis, quibus inferioris aetatis poetae haud raro syllabarum quantitate ad arbitrium immutata usi sunt in versibus componendis (cfr. L. M. p. 357 sqq.). Quam in partem etiam hoc in carmine peccatum est. Nam v. 52 contra leges prosodiacas legitur *Īphĭgĕnĭa* et v. 872 alia atque eadem vitiosa mensura *Īphĭgĕnĭa,* in *Pyladis* nomine semper est producta prima et altera syllaba, pro *Aegisthus* omnibus locis scriptum est *Egistus* syllaba prima correpta, v. 784 legitur *Enyŏ*, quale nusquam alibi inveniri testatur L. M. p. 340 (cfr. v. 497, ubi *Enyo* positum est in versu extremo). Verum nullo pacto adduci possum, ut credam scriptorem nomina *Eriphylen* et *Tiresiam* hac mensura *Ērĭphўle Tĭrĕsĭās* usurpavisse in versibus 691 et 950, ubi codicum scripturae ob alias etiam causas suspectae habeantur necesse est. Postremo animad-

vertendum est bis hoc in carmine vi caesurae produci syllabam finalem et in consonantem et in vocalem exeuntem, v. 783 *chaōs*, v. 358 *adnuitē*. Quo cave referas eos locos, ubi littera *h* sequente positionis lege producuntur syllabae breves et in arsi (veluti vv. 306, 456, 468, 510, 659, 941) et quod multo rarius est in thesi (cfr. v. 739). Qui loci cum haud pauci sint, facile intellegitur novissima demum aetate hoc carmen conscriptum esse (cfr. L. M. p. 321). Habebatur enim a poetis illius aetatis littera *h* non pro spiritu, sed pro consonanti, qua re factum est, ut ante eas voces, quarum in initio posita esset haec littera, hiatum adeo admittere non dubitarent. Id quod fecit etiam Orestis auctor tribus locis vv. 215, 892, 944. Alia quoque est condicio eorum locorum, ubi syllabae breves positae ante mutam cum liquida productae sunt et in arsi (veluti vv. 86, 101, 212, 375, 392, 552, 785, 956, 969) et in thesi, cuius usus unicum legitur exemplum v. 549. Simili ratione productas invenire licet syllabas breves ante litteras coniunctas *sc* vel *st* in arsi, veluti v. 287 *sollicitā studiis*, v. 635 *familiā scelus*, v. 616 *suppliciā scelerum* (cfr. L. M. p. 319 sqq.).

Jam vero ut de elisionibus vel si malis synizesibus, quas admisit auctor Orestis, pauca adiciamus, non ita multis ille usus reperitur. Etenim in carmine quod habet versus DCCCCLXXI, inveniuntur elisiones brevium vocalium XXXIIII, mediarum IIII, in *m* exeuntium XXII, longarum XXVI, cum teste L. Muellero (p. 282) in primo volumine Vergilii Aeneidos, quod habet versus DCCLVI, elisae adhibitae sint longae vocales LXXXV, mediae LXXXXVII, breves CLXXIII, in primo autem Ovidii Metamorphoseon (constat hexametris DCCLXXIX) longae VIII, in *m* exeuntes XXIII, breves CCXXVIIII. Patet igitur dimidiam fere vel tertiam partem elisionum in hoc carmine reperiri, quas in minoris ambitus volumi-

nibus admiserunt Ovidius et Vergilius. Nec plus quam quinquies (vv. 331, 537, 768, 897, 916) duae in uno versu adhibitae sunt synizeses in Orestis tragoedia, id quod in voluminibus, quae supra commemoravimus, Vergilius fecit duodequadragies, vicies Ovidius. Quid quod Vergilius bis, Ovidius semel tres eliserunt in uno versu vocales, cuius rei nullum inveni hoc in carmine exemplum. Quae omnia item nos docent auctorem Orestis inferioris aetatis scriptoribus annumerandum esse. Constat enim quo recentius sit poema, eo rariores reperiri in illo synizeses, quas ut L. Muelleri verbis utar poetae illius aetatis acri persecuti sunt odio. Verum quo accuratius cognoscas singulas elisionum rationes, eis quae modo exposui addendum est de elisionibus brevium vocalium non minus quam sedecim cadere in particulas *que* vel *atque*, quinque locis reperiri elisas vocales ĕ vel ă in versu extremo ante voculam *est* (vv. 209, 215, 666, 768, 921, cfr. v. 466), uno loco vocalem ĭ per synizesem coniunctam esse cum sequenti (v. 618). Longarum autem vocalium elisas adhibuit scriptor ter ā, bis ō, bis ē, quater ī, ter *ae*, (vv. 38, 80, 97). Denique haud indignum est commemoratione saepius in vocabulis monosyllabis elisas esse vocales, cuius rei sunt exempla *me, te* (vv. 571, 745), *si* (v. 916), *qui* (v. 338), *quae* (v. 38), *num, dum, quam* (vv. 360, 745, 694).

Vides iam scriptorem, quamquam aperta sunt hoc in libello rei metricae inquinatae indicia, tamen non ei indulsisse licentiae, qua plerumque grassati sunt poetae recentissimi. Quid quod ille aliqua etiam laude dignus videatur, si rhythmorum hoc in carmine rationem habueris. Nullas enim adhibuit caesuras nisi tres illas, quibus ut elegantissimis poetas maxime usos esse constat, semiquinariam dico et semiseptenariam aut cum penthemimeri aut cum trithemimeri coniunctam (cfr. L. M. p. 198).

Earum igitur, ut rem accuratius explicem, in versibus DCCCCLXXI semiquinariam adhibuit trecenties quaterdecies, adiutam illam trithemimeri locis nonaginta duobus, semiseptenariam cum penthemimeri coniunctam admisit quadringenties quadragies sexies, addita insuper trithemimeri locis centum viginti, semiseptenariam denique cum trithemimeri ducenties undecies, neque unquam quae singularis habetur elegantia neglexit cum tertio trochaeo verbum finire. Verum evanescet mox laus illa, si accuratius rem consideraveris. Etenim poetae meliores, quamquam illis potissimum quae modo nominavimus caesurarum usi sunt generibus, tamen ea non in omnibus adhibuerunt versibus, sed ne grata illa auribus desideraretur varietas, alia etiam admiscuerunt. Contra poetae recentissimi, veluti Symposius, Merobaudes, Boethius aliique, quos recensuit L. M. p. 198, in scholis scilicet rem metricam edocti eas tantum, quas legitimas esse didicissent, caesuras admiserunt nihil curantes carmina sua ingrato quodam tenore laborare. Tantum enim abest, ut in eiusmodi carminibus recitandis aures iocundo quodam permulceantur sono, ut molestiam etiam afferant versus aequales auribus accidentes. Adde quod poetae illi haud raro eandem caesuram in compluribus deinceps usurpaverunt versibus, qui uno tenore decurrentes taedio haud exiguo nos afficiant necesse est. Id quod auctori quoque Orestis vitio vertendum est, qui eandem caesuram per quinos, senos atque adeo septenos vel octonos continuaverit versus, veluti semiquinariam per versus 27—32, 242—246, 263—269, 643—648, semiseptenariam coniunctam cum penthemimeri per versus 53—59, 87—91, 282—288, 509—517, 583—589, 669—674, semiseptenariam denique cum trithemimeri per versus 179—183, 501—505.

Jam vero his, quae modo singillatim exposuimus, sub uno conspectu positis diligenterque pensitatis non dubitabis mecum affirmare hoc carmen saeculo demum quinto vel

sexto post Christum natum conscriptum esse. Sexto vero saeculo ut adscribamus Orestis tragoediam, suadet ut iam supra diximus maxima quae inter illam et Corippi Luxoriique carmina intercedit similitudo. Quamquam igitur hoc carmen ortum in limine mediae quam dicunt aetatis longeque remotum ab integra arte linguaque Romanorum nihil fere habet quo commendetur, tamen temporum novissimorum memorabile profecto existimandum est documentum.

Gaudia moesta canam detestandosque triumphos,
uictoris pro laude necem, festiua cruenta,
funeris effatus et lamentabile uotum
coniugis Iliacae, non quae iugularat Atridem,
aurea regali rutilantia serta cruore
et diadema ducis foedatum tabe cerebri,
matris in exitium memorem oblitumque parentis,
inpietate pium, prauae probitatis Oresten,
iniustos, sed iure deos ratione feroci
insontemque reum, purgantia templa furorum,
Thracia uirginitas ubi dat de clade salutem,
fraude pia mendax, melior germana sacerdos.

Significavimus littera B codicem Bernensem, A Ambrosianum, C, H, R, M, L coniecturas a C. G. Muellero, Haasio, Rothmalero, Maehlyo, L. Muellero propositas, denique littera S. emendationes a nobis ipsis prolatas.

Incipit orestis tragoedia B., Horestis fabula ab enoch asculano reperta incipit A.

3. affectus BA.; effatus M. — 4. namquae iugularet B., nonquae iugularat A. — 5. regalia B. — 6. cerebrum B. — 8. prebe B., reprobae A.; prauae L. — horestem A. *et sic semper.* — 9. feroci B., moueri A., *sed in margine adscriptum est:* alias: feroci. — 10. puergantia B. — sororum BA., *sed* A. *in margine habet:* furorum. — 11. tertia u. quae B., thracia u. cui A.; Thracia u. ubi S., sororis Threiciae, uirgo cui M. — 12. *deest in* A. — melior mendax B.; mendax, melior M. —

Te rogo, Melpomene, tragicis descende cothurnis
et pede dactylico resonante quiescat iambus.
da ualeam memorare nefas laudabile nati
et purgare foro quem damna . . . . . . ,
quem dolor accendit, pudor excitat, erigit ira,
mens leuat, adtollunt animi, bonus inpetus urguet,
dat furor arma pius, pietas dat noxia ferrum,
et medicinalis nequit ars sanare furores
. . . .
extinctos titulos uictriciaque arma sepulta,
criminis ultorem dum criminis amputat auctor
et thalamis uindex thalamos rex ante necatur.
ante toros iacet ille tori regalis amator,
ductorum ductor, regum rex, dux Agamemnon,
post dua lustra redux et post dua bella triumphans.

Martia bellipotens referebat classica princeps,
puppibus Argolicis rex Pergama uicta reportans,
Iliacasque nurus et Troica germina matrum.
diuitias Asiae rex censens corde silenti
maxima fulmineo dictabat dona Tonanti,
optima Junoni scribebat munera magnae,
omnibus et superis, Danais quicumque fauebant,
atque Mineruales donis ditabat Athenas.

---

13. cuturnis B. — 14. dactilico B., dactiliquo A. — 15. dalabem B. — 16. *versus mutilatus in* B., *totus deest in* A. — M. *explevit versum scribendo* 'damnant inpia facta'; *rectius fortasse conieceris* 'damnant publica iura'. — 18. mens labat A. — uonus B. — urget A. — 20. et medicinales quatiunt sanare furores BA.; et medicinalis nequit ars s. f. S., et medicinales nequeunt sanare liquores M. — *Lacunam post hunc versum indicavit* M. — 22. occupat auctor M. — 23. talamos rectante B., thalamo sectante A.; thalamos rex ante M. — 24. tori genialis A. — 25. dux rex B. — 25. redux post duraque bella triumphans M. — 29. iliagasque B. — 32. tunoni scriuebat B. — 33. *hunc versum, qui in BA. proximum sequitur, hoc loco ponendum esse vidit* H. — 34. donis addebat BA., donis ditabat S.; atque Minerauli dona ampla addebat Athanae M.; atque Mineruałem donis auge-

nescius uxoris scelerumque ignarus Egisti
dona Clytaemnestrae non dignae multa parabat,
dona uerecundae seruabat pulcra puellae,
plurima subridens genitor disponit Oresti,
quae aptabat pietatis amor uel origo paterna,
non tamen aequa suis animis meritisque futuris.

Interea findebat iter per caerula ponti
irato tranquilla deo recidentibus euris;
candida fluctiuagi tendebant carbasa uenti,
quo non cursus erat, sed quo dux inpulit aether,
Taurica perducunt ad litora castra Pelasga.
inperat hinc dominus praedam praeire Mycenis,
ipse secuturus post uota soluta Dianae.
ingreditur templum supplex, ueneranter adorat
numina casta deae. dum ferret munus ad aram
(stamina purpureum pingebant serica uelum,
pepla coruscabant uariis gemmata lapillis),
uidit Iphigeniam turibula sacra ferentem.
haeret et attonitos oculos in uirgine figit,
obstipuit pietas et mens sibi conscia praui.
agmine pro Danaum cultro feriente litatam
nouerat et similem nasci potuisse putabat.
candida uirgo tamen plus iam cognoscere patrem

bat Athenam L., *qui eum, quem codices praebent, versuum ordinem tuetur interpungendo post* Athenam *ac vocula* et *ante* superis *in* haec *conmutata.* — 36. dicne B. — 37. *hunc versum, qui est in codicibus* 40, *post uersum* 36 *collocandum esse intellexit* R. — 38. horesti A. — 39. *aut* quae *delendum aut* quae praestat *scribendum esse censet* L. — patena B., parenti A.; paterna H. — 43. candido B. — caruasa ponti B., carbasa uenti A. *Num* borrae *scribendum est?* — 44. lux BA.; dux C. — ester B. — 45. pelasca B., pelasgi A. — transtra *pro* castra *dubitanter proposuit* L. — 46. indomitus BA.; hinc dominus L. — Mycenas M. — 49. ferre B., feret A. — 50. seriga uelu B., serica uellum A. — 52. turiuulascra B., thuribula sero A. — 54. obstupuit A. — 55. cultor feriente litata B. —

coeperat, officium citius dedit ipsa ministrae.
mystica continuo summum uas igne repleuit;
regia uirgo cito per patria colla pependit,
oscula pura petens et dans commercia munda;
mox imber rigat ora pius nataeque patrique.
conticuit genitor, dum uultus gaudia plorant
et gemitus crebris singultibus oscula rumpunt.
tandem uocis iter pietas reserauit et infit:
filia noster amor, set noster nata reatus
uiuis an effigies et imago uolatilis extas?
gaudeo; da ueniam, si corruis ense deorum;
nam uiuam te membra docent tactusque fatentur.
dic igitur qua sorte uenis a matre diremta
ad delubra deae, posita per tempora uitta,
et, quod plus miror, p . . . . . sacra Dianae?
dixerat haec genitor, cui sic est uirgo locuta:
cum, pater, Hectoreos peteretis classibus agros,

---

59. istaque continuo M. — esum uas B. — 60. per pauca colla B. — 61. et das B. — mundi BA.; munda M. — 62. nox inberrigat ore B. — 63. cenitor B. — 64. sincultibus B., gemitu crebro singultus A. — 65. uocis itu B. — 66. iulia noster ramor set B., filia noster amor sed A. — nota B. — 67. qui //// ffigies (*macula enim est inter haec duo vocabula*) B. — isolatilis exta B., uolatilis extas A.; uolatilis ista L. — *Post hunc versum talis legitur in* A: si uiuis et non es sacrata morte dicata, *quem* M. *sic emendatum proposuit:* si uiuis neque dis sacrata es m. d.; *leniorem medicinam adhibuit* L. *scribendo:* si uiua es et non sacrata morte d.; R. *illum spurium esse affirmat, cuius sententiam probare nullus dubito.* — 68. sit corruis B., sic corruis A.; si corruis M., *qui inter hunc et proximum statuit excidisse versiculum.* — 69. actusque B. — 70. sorte manes BA.; sorte uenis M. — dirempta A. — 71. posterarum tempora uita B., post tergum brachia uincta A.; circumdata tempora uitta C. *et* M.; posita per tempora uitta S. — 72. *haec est codicis* B. *scriptura; in codice* A. *legitur:* memorali sacra D., *unde* C. nemorali, M. nemoralis *scripserunt.* R. *libri Bernensis vestigia secutus coniecit:* pharetratae *vel* procurans, *quorum prius haud alienum esse uidetur a veri specie.* — 74. classibus sacros B. —

fraudis Ulixeae formatur epistola mendax,
nomina uestra tenens, quasi iusseris ipsa venirem
ocius ad thalamos coniux sponsantis Achillis.
credula mater erat, quae me conmisit Ulixi.
nec uocor ad thalamos set uictima trador ad aras;
mittor at in pia templa deae et miserante Diana
pro me cerua datur lugenda uicaria nulli.
sic rapior cultris et seruio turis alumna.
casibus auditis doluit gauisus Atrides,
qui numen ueneratus ait sic ture recepto:
plectigeri germana dei, Letoia Phoebe,
nomine tu quocunque dea praeclara uocaris,
numine mox ipso praestas quodcunque rogaris;
tu rapis ex aris animas et morte parata,
mitior existens, sacrum largita cruorem
luctibus ac missis donans lamenta parentum;
mucro sacerdotum uibrat ieiunus et expers
sanguinis humani, contentus sanguine uili.
pignora redde, precor, regi post funera patri,

---

75. ulixeueor firmatur B. — 77. Achilli A. — 78. conmisit uliati B. — 79. sed A. — oras B. — 80. mitis at pia templa demiserante dianae B., et mitis pia templa deae miserante diana A.; mitis et ad pia templa deae miserante Diana. M., at mitis pia templa deae: miserante D. R., mitius ad pia templa deae m. Diana L., mittor at in pia templa deae et m. D. S. — 81. lucenda uicaria nullus B., ducendo uicaria nullis A.; ducenda uicaria nullis C., caedenda uicaria uilis M., ducenda uicaria uilis L., lugenda uicaria nulli R. — 82. cultrix B. — thuris A. — aluna B. — 83. agit precepto reture B., ait (*corr.*: ast) precepta repertae A.; uenerans grates ait atque precatur M., ueneratus ait praefecta pharetrae R., ueneratus ait sic ture recepto S. — 84. peleti iuri B. — letuia B., letima A.; Letoia M. — 86. deae BA.; dea M. *et* R. — 87. prestas B., tribus (*corr.*: tribuis) A. — quoque rogaris A. — 88. *hunc versum, qui in codicibus legitur post versum 93, hoc loco inserendum esse censui.* — 90. luctibus omissis BA.; luctibus et missis L., luctibus ac missis S. — 91. febret BA.; uibret C., uibrat S.; feruet R., sacerdotum ut feriat M. —

ut prosit demsisse neci. tibi, Delia, supplex
mille dabo pecudes, ceruos hircosque suesque,
cornibus armatas lunata fronte iuuencas.
nil actum Troiae est, si non comitante Mycenas
uirgine pergo redux plangenti reddere matri.
quam putat extinctam, nostra pietate redemtam
sentiat et uertat proprios in gaudia planctus.
his precibus commota dea crudescit in iras,
auertit uultus, oculos mentemque rogatam.
sensit ut armipotens flammari corda Dianae,
terretur retroque pedem cum voce coercet.
tristis ad aequoreos celerat uestigia fluctus,
puppibus inpositus proscindit cursibus aequor.

interea dum carpit iter spumantibus undis,
fama Mycenaeas uolitans repleuerat oras
aduenisse ducem ditatum sorte duelli.
nec mora praeda uenit palmatis puppibus omnis,
occurrunt oculi Danaae de turribus urbis,
moenia femineis replentur cuncta cateruis.
captiuos uisura Phryges Agamemnonis uxor
adfuit, aduentum metuens inpura mariti,
qua uisa cessere loco matresque nurusque

---

94. dēsí senecti uidelia suplex B. — 95. dauo B. — 96. armata B. — 97. nil altum troes B., nil actum troes A.; nil actum Troiae est C. — l̄icenas B., micenas A. — 99. uestra pietate B., ara pietate A.; nostra pietate L. — redemptam A. — 100. planctos B., uultus (*a manu correctrice additum*: luctus) A. — 101. non mota L. — dea crudea crudescit B. — 102. oculos uultus B. — *An* rogata *scribendum?* — 103. utramipotens B. — 105. ad aequor eos B., ad aethereos A. — 106. proscindens B. — classibus M. — 107. praeterea BA.; interea M. — 108. moeceneas B., Myceneas A. — replerat B. — 111. dane de B. — 112. implentur A. — cateruis B. — 113. captibos uisura friges B., capturus uisura reges (*cum correctura:* phryges) A. — 114. aduentus BA.; aduentum M. — 115. quauis accessere lommatresque B. —

constitit inspiciens ut adultera regia coniux,
publica planctigeris exsecrans gaudia uotis,
anxia sollicito quatiuntur corda pauore.
supplicium exspectat scelerum ueniente marito
adque oculos per cuncta iacit mandante timore
et pallor premit ipse genas feruore recenti;
at tamen infelix animo uersatur adulter.
ast ubi non uidit descendere puppe tyrannum,
inpunita putans sua crimina posse manere
gaudet et internae mentis secreta fatetur.
permixtus candore rubor pallore fugato
et lasciua reos pulcrescunt gaudia uultus.
credidit aequoreas quod rex sit mersus in undas,
nec uult scire moras, tantum contenta, quod absit,
et celeri cupit ire gradu dictura maritum
non reducem moecho, set spes ibi fallitur audax.

praeterea sors regis erat Cassandra sacerdos,
inter Dardanias clades Danaumque triumphos
non habita indigne, licet esset portio praedae.
ipsa Clytaemnestrae sacro correpta furore
longius acclamat: salue regina Pelasgum,

116. insipiens B., incipiens A.; inspiciens M. — adultaera B. — 117. plantigeneris B., plantigeris A.; planctigeris R., clam nigris M. — 119. exspectans BA.; exspectat M. — R. *servata lectione:* exspectans *versus 118 et 119 transponendos esse existimat.* — 120. atque A. — mandante timore B., mandata timori A.; stimulante timore M. — 121. feruorque recedit M. — 122. attamen BA.; ac tamen L., atque hymen M. — animo obuersatur M., animo seruatur L. — 126. ruuor B., pudor A. — 127. reo pulcrescunt g. uultu *vel* reos crescunt per g. uultus *vel* reo succrescunt g. uultu L. — 128. aequoreis A. — rexit merus B. — undis A. — 129. concepta A. — 130. gradum B. — 131. moecos set B., moecho sed A. — fallit iraudax B. — 134. hauita B. — licetesse B. — 136. exclamat BA.; acclamat M. — salbe regna pelagum B. —

ultio Dardanidum, captae solacia Troiae,
tuque triumphalis domitor, bone pastor Egiste,
plumea cui praestant post pelles stramina lectum,
quem post tecta casae regalis suscipit aula,
quid dubitatis adhuc uestros releuare timores,
perdite, ne pereat uestri cito fructus amoris?
tempus adest et fata iubent et culpa perurguet;
amputet eripiens uictricia colla bipennis.
uos licet et similis maneat censura malorum,
sit saltem mora longa reis, dum crescit Orestes.
uictima carnificis nati post funera patris
mater eris tecumque ferox ferietur adulter
Pyladis fodiente manu, mihi credite cari;
me miseram, furor alter habet purgandus Oresten.

dixit et elisam retinent per transtra rudentes.
prouida terruerant reginam dicta nefandam;
it pallor super ora redux facinusque parare
disponit sub corde truci, furor urguet amoris,
sollicitusque timor grassatur mente pauenti.
moesta domo quasi laeta redit terrente pauore,
ingrediens thalamos suspiria longa trahebat
corde premens gemitus et gaudia uultibus aptans.
quid rumor, quid fama ferat, quid nuntia portent,
auribus adtonitis lasciuus quaerit Egistus.

---

137. dardardanedum capte solucia B. — solatia A. — 138. tu qui B. — triumphantis R. — uone B. — 139. lectum *omittit* B. — 141. aduc B. — relebare B. — 143. adest efata uibanter culpa B. — 144. iam putet e. u. collo pupenis B. — 145. censura pulorum B. — 146. fit L. — 147. uinctima B. — 149. credite uati M. — 150. me miserum B., me miseram A.; heu miserum M. — purgandis Orestes B., purgandus horestus A.; purgandus Orestem M. — 151. dixit det elisam B., dixit et elisam A.; dixerat et classem M. — 152. terruerunt L. — 153. et pallor B. — patrare L. — 155. pabenti B. — 156. domo BA.; domum M. — reddit B. — 158. uptans B., addens A.; aptans C. — 159. numina portent A. — 160. attonitus A. — lascibus querit B. —

quae sexus armata dolis sub fraude latenti
incipit effari, iuuenis dic, quid sit agendum.
occidimus, redit ille meus post bella maritus,
uictor et armatus zelo mordente, minatus
moribus Argolicis leges inducere castas.
tristibus inperiis alieni criminis ultor
quid faciet pro iure suo? moriemur inulti
et periet iam noster amor; mactabit utrumque
turbidus ante diem, solitus punire nocentes,
letifero mucrone ferus; spes nulla salutis
est, nisi uitalem contemnimus ambo salutem.
gloria belligeri feriatur et arma tyranni,
et prior occumbat quam nostros sentiat ignes,
prospera bellorum quem sic fecere superbum
et Priami fortuna iacens, ut sanguinis usu
humani generis uilem putet iste cruorem.
per te casta negor, per te fero damna pudoris,
nec uolo tam multi sceleris reperdere fructum.
an uerbis inimica loquens extorpeo factis?
communis nos casus habet uitaeque necisque,
est nobis commune bonum, commune periclum.
sors pariter nos una monet iubeoque rogoque
pastorem regina monens formidine mortis.
territa sollicitor miserandi femina sexus;
conueniens tamen hortor opus, dum congrua uitae

---

163. post uela B. — 164. zelo B., telo A. — 167. faciat BA.; faciet M. — 169. feruidus M. — 171. amuo B. — 172. gloria ut ligeri feriantur et armara B., gloria belligeri feriantur et arma A.; feriatur M. — 174. uellorum B. — 175. nocens BA.; cadens M., iacens L. — ut sanguinis usti B., et sanguinis ulti A.; ut sanguinis usu R., ut sanguinis iste M. — 176. degener humani uilem putet esse cr. M. — 177. gasta B. — 178. multis B. — me perdere M. — 179. extorqueo BA.; extorpeo M. — 180. nos causa habet uiteq: nescis B. — 181. *in* B. *ultimae versus litterae* iclum *desunt*. — 183. morus B. — 184. sollicito M. — 185. hortor tamen B.

inpero, ne moriar tecum periture cruente;
nam mecum miser ipse cades Agamemnone uiuo.
inpie, funereis nos casibus eripe sollers.
semper enim securus erit, qui perculit hostem.
nec labor ullus erit uictorem sternere ferro
et patet insidiis nullo terrente quietus.
non est quem metuas, breuis est et paruus Orestes,
unaque natarum cinis est per templa Dianae,
altera sexus iners, residens, miseranda quid audet?
exulat interea Menelaus frater Atrides.
quicquid ages inpune geris scelerisque peracti
sic merces non poena datur; felicior ibis
adque Agamemnonio regno potieris et aula.
exemplumque recens tibi iam superaddo, Lacaenam
interfectricem tot regum, tot populorum
uiuere felicem post funera tanta quiete;
nec metuam Danaos, heredem seruo Thyestis.

dixerat haec mulier, spes est data maior Egisto:
tramite dic quo, pastor ait, geminare ualebo
hoc tam grande nefas; labor est extinguere regem
adque triumphantem, quod plus, in principis aula.
tunc pandens regina uiam scelerata profatur:

---

186. inpersone B., impero ne A. — 187. agamemnonē uisu B., agamemnone uiso A.; Agamemnone uiuo M. — 188. funereos B. — 189. semper iners B., semper inops A.; semper enim M. — egit qui p. ostem B. — *Versus* 189 *et* 190, *qui sunt in libris manu scriptis* 190 *et* 189, *transposuit* M. — 192. brbis est et parb; B. — 194. retinens B., necidens A.; residens S., nequiens C., trepidans M. — 195. exolat B. — alter BA.; frater M. — 196. agis BA.; ages M. — 197. felicioribus B. — 198. atque A. — gamemnonio B. — 199. exemplum regens B., exemplumque regens A.; exemplumqae recens C. — 200. interfectur item B. — 202. metuant B. — sternotiestis B., sterno thiestis A.; seruo Thyestis L. — 204. ualeuo B. — 205. lauorē et tinguere B., laborem exstinguere A.; labor est extinguere C. — 206. atque A. —

bellorum maculis et crassam sanguine uestem
rex ferus indutus ueniet; mutare necesse est
indumenta duci; tunicam dabo uertice clauso.
dum caput indutum cupit exertare tyrannus,
egredere praeuentor, atrox uiolentus Atridis
finde secure caput ceruicem colla cerebrum.
ultima res tantum quae restat sola iuuabit.
consilio succumbe meo; haec una medella est,
luctibus inlatis auertere funera nostra.
dum moror, adueniet nostri modo criminis ultor.
haec infausta loquens lacrimis simul ora rigabat.
turbidus in ferrum rapitur flammante timore.
audacem . . . . terrorque proteruum
et mouet armatos ictu quatiente lacertos
absentemque ferit pauidus quem non uidet hostem.
sic solet anguis hians obsesso fonte uenenum
fauce parare necis fatis mortalibus aptum
pectore sublatus linguam uibrando trisulcam.
motibus his mulier melius gauisa resumsit

---

208. grasso B., crasso A.; crassam M. — 209. feris B., erit A.; ferus C. — 211. cupit hec serta tyrannus B., uolet exertare tyr. A.; cupit exertare tyr. C. — 212. *totus uersus deest in* A. — egredere praeuento ratrox B.; egredere praeuentor, atrox R., egredere praeuenta et atrox C., adgredere praeuentum et atrox M. — 215. succumbē eo B. — 216. abertere funere nostris B. — 218. infauta loquens B., infausta rogans A. — 219. turpidus BA.; turbidus C. — 220. *lacunam, quae est in* B., *explevit emendator in* A. *scribendo:* audacem faciebat amor terrorque *ad exemplum versus Ovidiani* VI, 469 '*facundum faciebat amor*', *quem locum indicavit L. Quid poeta scripserit, in incerto est; R coniecit:* audacem facit ipse pauor terrorque proteruum. — proterbum B., superbum A.; proteruus C. — 222. rabidus R. — ostem B. — 223. ians B. — 225. lingua uibrando BA.; trisulcat B., trisulca A.; lingua uibrante trisulca C., linguam uibrando trisulcam R. — 226. resumit A. — 228. inplete plecti rustica B. *(inter secundam et tertiam vocem est rasura)*, implentem amplecti per rustica A.; implens C.; inplexum amplecti S.; inpia et amplexi L.

turpiter infames animos; redit illa voluptas
inplexum amplecti; per rustica colla pependit
dulcia lasciuis defigens basia labris.
ille uicem redhibens dabat oscula crebra per artus.

dum commune nefas aequali mente fruuntur,
regia puppis adest uariis ornata coronis.
plus magis audaces animos de crimine sumunt,
illa rapit tunicam, pastor rapit inde bipennem;
officio stat quisque suo; celatus adulter
intra claustra latet, mulier progressa parumper
morte maritali tunicam submisa ferebat.
rex rate descendens tacta tellure triumphat;
bellorum maculis rutilabat sanguine pulcher,
grandis in aspectu, pugnarum horrore decorus,
qualis erat referens caelo post bella gigantum
Juppiter astriferam stellata fronte coronam
adque coruscales fundebat uertice flammas.
pignora naturae concurrunt dulcia patri;
itur in amplexus et reddunt oscula danti.
pergit et ad thalamos; post publica limina portae
lumina uoluebat genitor uisura iugalem,
inpia quae reducem fallaci uoce salutat:

---

230. uicē retibens B., uicem reddens A.; uicem redhibens R. — per artus *suspectum est L. Muellero.* — 232. uarios ornata choronis B. — 233. hinc magis A. — discrimine A. — 234. rupit inde bipennem B., rapit inde securim A. — 236. inter A. — 238. ratae B. — tracta tellurē B. — 240. orrore B. — 241. caelo referens A. — uela B. — 243. atque A. — choruscales findebat A.; coruscantes R. — 245. panti B., nati A.; danti R. — 246. pertinget ad B. — *Versus* 246 *et* 247, *qui sunt in codicibus* 247 *et* 246, *transposuit* L. *et scripsit:* pergit, et ad thalamos post publica limina uertens lumina uoluebat genitor uisa iugalem. *Quod recepi ita ut codices arctius secutus scriberem:* pergit et ad thalamos; post publica limina portae lumina *etc.* — M. *servato versuum ordine scripsit:* lumina uoluebat genitor uisura iugalem, pergit et ad thalami post publica limina portas. —

belliger armipotens, cultus depone minaces
atque habitus dignare pios, uix pacis amator.
en tibi uestis adest nostro contexta labore,
aurea purpureo radiantur fila colore.
dixit et exutum tutanti tegmine regem
callida funereo perfundit corpus amictu.
sed capiti dum quaerit iter tunicaeque fenestram,
illa manum retinens armatum acciuit Egistum.
erigit ille trucem dextra uibrante bipennem
et ferit incautum caput inpius inpete mentis
ac diademalem frangit cum uertice frontem
in partes hinc inde duas, geminantur et ictus,
terque quaterque ferit, diffundit in ora cerebrum.
regina laudante manu rex concidit insons,
saucius et tremulo quatiebat corpore terram.
sic aper inplicitus uenantum cassibus ingens,
dum cupit exiliens euadere retia toruus,
concutit ora ferox spumantia dentis adunci
et perdit uacuos elisis morsibus ictus.
sic Asiae domitor consumtus fine cruenta;
heu pastoralis populauit membra securis.

aspera sors hominum uel mens ignara futuri.
credere quis posset, si centum flatibus acta
Delphica fatidicos quateret cortina recessus,
antra mouens tripodasque ciens et plectra fatigans,
euersorem Asiae foderet quod cultor agelli

---

250. uir pacis A. — 251. contesta lauore B. — 253. dixit det B. — tecmina B. — 256. accipit B., accepit A.; accersit M., acciuit R. — 257. dextram A. — uipennem B. — 259. uertice faucem A. — 260. seminantur B. — 261. exta BA.; ora M. — 262. laudate *m. r.* condidit B. — 265. euaderet B. — 267. conlisis morsibus B., conlisis dentibus A.; elisis morsibus S. — 268. cruento A. — 270. ut mens A. — 272. delficastidicos B. — 274. desertorem BA.; euersorem R. *et* M.

aut desector iners ouium pecorumque magister,
et caret igne rogi dederat qui Pergama flammis?
discite felices non unquam credere fatis.
sunt faciles dare summa dei, tamen inde relinquunt
et miseris in fine nocent aut forte repente
destituunt poenasque petunt de sorte secunda.
credere qui non uult, Priameia fata reuoluat
adque Agamemnoniam uideat male credulus aulam.

clade repentina premitur Pelopeia uirgo,
sed tamen ultorem patris seruauit Oresten.
faucibus eripiens germanum Electra parentis.
inposuit puppi secumque adduxit Athenis
et bene sollicita studiis sapientibus addit.
quae ratis aduexit regem, haec quoque pignora regis
resque Agamemnonias et Troica gaza reportat.
cuius erat nimium fidus Pylades amicus.
iunxerat hos studium sollers et gloria linguae;
uelle fuit commune uiris et nolle duobus.
exercebat opus iuuenes si forte palaestrae,
pacatum luctamen erat; per lustra ferarum
uenandum fuerat, socios uenatus habebat;

---

275. desertor BA.; desector M. — pecudumque A. — 276. en caret L. — 278. dare... madei *(inter* e *et* m *parva est lacuna)* B. — 279. miseros BA. (*in* A. *super* o *positum est* i). — at forte A. — 282. atque A. — 283. Priameia L. — 284. sereauit B. — horestem A. — 286. atenis B., athenas A. — 287. sollicitum BA.; sollicita R. — sapientis addit B. — 288. auexit M. *(deceptus, ut opinor, errore eius qui editionem Muellerianam impressit. Quem errorem ipse Muellerus in addendis correxit).* — 289. spes Agamemnonias B., spesque Agamemnonias A.; resque Ag. L. (*cfr. v.* 349). *Ceterum versus* 288 *et* 289, *qui hoc loco positi mirum quantum turbant orationis cursum, ut mihi quidem videtur, post versum* 303 *sunt collocandi.* — 290. eram B. — pilades amoris A. — 291. iuncxerat B. — 295. uenandum cum erat *dubitanter proposuit* M. —

cornipedem si quis celerem frenabat habenis;
hoc imitans faciebat amor; proludere telis
si fuerant animi, iuuenis iaciebat uterque.
nec uinci quisquam metuens nec uincere feruens.
par bene sensus erat pueris, si calculus esset.
sic amat adque fouet germanum Castora Pollux
et paribus uotis Pollucem Castor amauit,
mortibus alternis et uitae damna repensant.

uestibus induitur Tyriis homicida et adulter
et poenale caput cingit diadema coruscum.
tamquam legitimus heres Agamemnonis aulae
(at magis heredem conuenerat esse Thyestis)
intrat et orbatum per singula quaerit Oresten.
ast ubi res Danaum diffusas sensit Egistus,
Troianas raptare et opes spes una manebat,
has quoque cognouit regis cum pignore raptas.
aestuat inpatiens, quod regni nomen inane
obfendit, quia perdit opes, quibus esse tyrannus

---

296. quisque leuem BA.; quis celerem M. — 297. hunc similis A. — producere BA.; proludere M. — 298. iubalenis iaciebat B. — 299. nec ui nec quicquam (*ultimi vocabuli literae* c *impositum est* s) uincere serens B. — 300. paruene insus erat pueris sic acullus es B., *deest in* A.; par bene sensus erat pueris C., par uenus inbuerat pueros, si calculus esset M., par bene lusus erat pueris, si calculus ibat R., par bene sensus erat pueris, si calculus esset S. *Ceterum versuum* 299 *et* 300, *qui sunt in libris* 300 *et* 299, *eum quem supra exhibuimus ordinem constituit* R. — 301. amataque B., amat atque A. — pastora B. — 302. post lucem pastor amabit B. — 303. uentibus alternis B. — 304. homicida B. — 305. choruscum B. — 306. Agamemnonis alti L. — 307. et magis BA.; at magis L., quem magis M. — tietis B., tiestis A. — 308. intrate torua tum B. — orestem B., horestem A. — 309. defossa B., defessas A.; defossas M., diffusas S. — 310. raptaret BA.; raptare et L. — 311. reges B. — castas B., raptas A. — 312. extuat B. — 313. ostendit B., offendit A.; obtinuit R. — quod perdit M. —

posset et armari ferroque auroque ualeret.
callida participem sceleris solatur in arto
fraudis et ancipitem confirmat in arte manere.
femineas ostentat opes quas sexus habebat
et diademales profert quas garrula capsas,
turpibus inducens pretiosa monilia membris.
his, ait, Argolicos emimus per regna fauores
muneribus proceresque nouos ueteresque trahemus
in nostram transire fidem. nam principis uxor,
cuiuscunque libet, licet extet pulcra pudica,
censibus his ornata, nitens placare maritum
adgreditur, praestructa suae dulcedine linguae.
diuitiis armata meis en dulce uenenum
auribus adtonitis fundet blandita perite,
mollibus artifices iungens amplexibus artus,
et faciet nobis sublimes sexus amicos.
auro foeda placent, auro decorantur honesta;
pulcrum equidem est aurum, sed femina pulcrior auro.
emollit Cytherea trucem per proelia Martem.
crede mihi, iuuenis; de sexu femina tracto.

---

314. auraque A. — 315. particem B. — solature arte B., solatur et altae A.; solatur et arte C. *et* M., solatur et artem R., solatur et apte L., solatur in arto S. — 316. anticipitem B. — fraudis et ancipiti confirmat marte manere R., fraudis ut ancipiti confirmet in arte manere L. — 317. quos A. — 318. quas sarrula gapsas B., quasi scrinia capsas A.; blandissima capsas M., quas garrula capsas R., quas sedula capsas L. — 319. munilia B. — 320. pauores BA.; fauores C. — 323. licet extae B. — pulchra A. — 324. his ornat BA.; his se ornat M., his ornata R. *et* L. — 325. adgrediture praesumta B., aggreditur praesumta A.; adgreditur praestructa M. — 326. diuitias B., diuitiis A. — armata BA.; ornata M. — meis et BA.; meis en S., nouis et C. — diuitias orare meas L. — *Versus* 330 *et* 331, *qui in libris leguntur ordine inverso, transposuit* L. — 330. onesta B. — 331. pulchrius est aurum BA.; pulchrum sane aurum M., pulcrum equidem est aurum S. — pulchrior BA. — 332. citerea tricem B., cythara (*in marg.* cytherea) trucem A. — 333. feminea BA.; femina C. —

artibus his sollers animos reparauit amantis
et gratis gauisus ait muliebribus ausis.
sordida mens regnare cupit, dux sceptra tenere.

extinctum sub fraude ducem nil tale timentem
coniugis insidiis, ausu pastoris iniqui
. . . .
et tacito sub corde premunt. de principe ciues
murmure sollicito flentes haec dicta loquuntur:
inpia sic Lachesis Parcarum lege bipenni
censuerat regem tam turpi morte perire!
adque utinam iuuenem per bella feriret Amazo,
Penthesilea fremens, quam uix euasit Achilles,
et non infami prostratus morte periret
crimine cum gentis Danaum, cum clade suorum,
nec pede tractus humo iacuisset ab arce remotus,
cuius honore carens tumulatur nocte cadauer.

dic mihi, Musa, precor, qua re materna nouerca
quaerere neclexit pueros et tradere captos
patris in occasu? Dorylas libertus Atridis
et pueri nutritor erat fugientis Orestis.
consilium mendax sollerti pectore sumsit

---

338. *lacunam post hunc versum indicavit* M. — 340. loquantur B. — 341. sillacessis B. — uipennis B., bipennis A.; sic Lachesis P. l. bipenni H. — 342. consuuera B. — periret. B., perire. A.; perire? H. — 343. adque utinam minalenem per uella feriret amazo B., illum bellatrix utinam strauisset amazon A.; illum utinam militem per bella feriret Amazo M.; atque utinam iuuenem ber bella feriret Amazo R. — 344. pentesilea BA. — furens L. — quauis BA.; qua uix C.; quam uix M. — Atrides BA.; Achilles M. — 345. et non infanda A. — perisset A. — 346. cum clamide B. — 347 et per detractus B., et detractus A.; nec pertractus H., nec pede tractus R. *et* M. — humo BA.; humi M. — *Inter* 347 *et* 348 *versum excidisse statuit* M. — 348. cadens cumulatur B. — 349. qua spe BA.; qua re C. — 350. neglexit A. — 351. occasus dodilas B. — atridae A. — 352. horestis BA. —

fingere, quod pelagus rabidum demersit Atridas
fluctibus aequoreis. qui stans in litore dixit:
di maris et terrae, pietas et, origo bonorum,
naturae caelestis amor, mendacibus ausis
uos precor adnuite, fallacia uota iuuate;
credar et aduertar mendax adsertor Orestis.
tollere nam insontes cupio de sorte paterna,
quam mater plectenda parat uel uitricus hostis.
dixit et undiuagis uestitus fluctibus intrat
et mare caeruleo tumide spumantibus undis
mersus ad usque caput, tunc litora sicca petiuit.
turbidus haec plangens funesta accurrit ad urbem
et querula sic uoce boat: pro Juppiter, hostes
sic placet ulcisci Troes, sic perdere Graios.
pro Phrygibus pelagus saeuit, mare uindice Troiae.
quod pueri gessere nefas, quid mollior aetas
gessit in Iliacis bellorum tempore campis,
ne fuga sit miseris optata per aequora uectis?
uidi ego mergentem fluctu sorbente carinam,
in qua uectus eram comes et nutritor Atridum,
de qua solus inops euasi remige planta.

---

354. finge quod B. — rauidus B., rapidum A.; rabidum R. *et* L. — demerserit atridis B. — 356. origo populorum B. — *An* polorum *scribendum?* — 358. annum fallacia uota uota iubate B. — 359. credar ut auecti mendax L. — honestis B., horestis A. — 360. insortes B. — 361. mater plenda B., mater non flenda A.; mater plectenda M., mater penitenda L. — uel biticus B. — 363. *deest in* A. — et mare caeruleum B.; in mare caeruleum M., et mare caeruleo R. — 365. *deest in* A. — funestam currit B.; funesta accurrit M. — ad irbem B. — 366. uoce usat B., uoce uocat A.; uoce boat C. — pro iupiter estis (*sed in marg. adscriptum est* hostis) A.; pro Juppiter hostis C. — 368. saeuit pelagus A. — 369. quod ... gessere A. (*inter haec vocabula parva lacuna*). — 370. cessit in Iliacos b. t. campos B. — *Versum post hunc excidisse suspicatur* M. — 371. nec fuga BA.; ne fuga R. *et* L. — oblata per M., sopita per L. — 372. dum uidi B. — mergentes BA.; mergentem B., mergendam R. — carinas A. — 373. erat B. —

esto Clytaemnestra tristis, crudelis Egistus,
saeuior unda maris, quae nec post bella pepercit
pignoribus Danaum; felix iam Troia uocanda.
diceret haec cum uoce pia, raptatus ad aulam
muneribus cumulatur opum, quod gaudia ferret
mentibus incestis. nam mox regina proterua
inperat acciri populos (uenere coacti);
aedibus in mediis quae sic exorsa profari:
eximii proceres Danaum populique pusilli,
quos Agamemnonii per ferrea lustra triumphi
non mersere neci, sed adhuc superatis inanes
uisceribus uacuis, exhausti sanguine fuso.
quod uos sic minuit saeuis Bellona duellis,
regis culpa fuit, qui exhausit ciuibus urbem,
conisus uiduare nurus, orbare parentes
et natos spoliare cibis, pietate paterna.
inde ferox percussus obit sub morte securis
atque sua proles iacuit modo uindice fluctu.
spondeo iam requiem placidam, sperate quietem;
otia pacis erunt; nullum nocturna cubantem
classica sollicitent, nullas tuba uerberet aures;
temporibus licitis blandos recerpite somnos.

---

375. iusta cliternmestra tremitis B., iusta clytaemnestra mitis A.; esto Clytaemnestra inmitis M., frustra Clytaemnestra tremitis *vel* siste Clytaemnestra tremitus L., esto Clytaemnestra tristis S. — 376. uela B. — 378. dixerat haec ubi uoce M. — 381. inperat ... citu B. *(inter haec vocabula est parva lacuna).* — 382. quem sic exorsa profari B., quae sic exorsa profatur A., quae sic exorsa profari S., quis sic exorsa profari L. — 384. perfrere lustra B. — 385. necis sed aduc supertis B. — 387. quod sic minuit uos saeuis A. — 388. que exausit B. — 389. tonisus B., tot nixus A.; tot nisus C.; conisus R. — 390. spoliare ciues B., spoliare rudes A.; spoliare cibis R. — 392. quae sua proles iacuit B., quo sua proles iacuit A.; cui sua iam proles iacuit C., cui sua conticuit proles M., atque sua proles iacuit L. — fluctum B. — 394. cubante B. — 395. sollicitant nulla stipulauerit aures B. — 396. decerpere A. —

aspera tela uacent, curuentur falcibus enses,
ossibus et neruis deflexis cornibus arcus
ad solas aptate feras celeresque uolucres,
deliciis epulisque bonis refouete senectam,
pignora natorum dulces nutrite nepotes.
unica mors restat morbis finire salutem.
tramite naturae finem labentibus annis
iam sperare licet, nec propter uulnera ferri
corporis exitium; fas est sperare sepulchra
ordine legitimo, flammas sperare rogales,
et tumulum sibi quisque paret post busta perennem.
germinis ille sui crudelis et inpius hostis
rex Agamemnon erat, patriae dominator amarus,
ciuis Egistus erit meme profitente maritum.

dixerat et cunctos discedere iussit ab aula
ac domibus remeare suis, sed uilis adulter
nescius atque rudis regnorum frena tenere
ipse sibi genium fastu facit ore minaci.
asper erat famulis regalibus aduena, seruis
inperium non mite dabat, quibus ipse profecto
si famularetur, crimen sibi turpe putaret.
sceptra triumphorum data sub pastore tyranno
pro pretio scelerum, mercedem sanguinis ostrum,
matronale nefas, uxorem dedecus aulae,
quis, rogo, non gemeret? tamen hos formido iubebat
infami parere bonos; timuere subulcum

---

397. uacant B. — 398. ossibus a uestris M. — 399. agitate feras A. — scelerisque B. — 402. finire senectam A. — 404. et propter BA.; non propter M., uel propter L., nec propter S. — 407. perhennem B. — 408. impius heres A. — 410. me profitente B., me perficiente A.; meme *uel* memet profitente R. — 411. descendere iussit A. — 414. ipsa sibi B. — 417. siue turpe B., sibi uile A. — 418. data de M. — 419. mercede BA.; mercedem R. *et* M. — sanguinis hostem A. — 422. bono BA.; throno M., bonos R. — bubulcum A.

acrius, Hectoriòs qui non timuere furores.

. . . .

ius Agamemnonium luerat post Pergama capta
uerbero plectibilis, comes armipotentis Achillis

. . . .

occidit regem Tomyris, regina Getarum,
sed nil turpe gerens uindex fuit illa suorum.
si fecit Medea nefas, flammata dolore
dulcis amoris erat, cum regia tecta cremabat
inclemens, uiduata uiro de pellice Glauce.
inpia Lemniades sumserunt arma puellae
atque maritali foedarunt sanguine lectos,
sed Veneris furor acer erat facinusque nefandum,
quod Scythicae gessere nurus. in crimine tanto
barbara turba fuit. nam tu, regina Pelasgum,
Graecia quam genuit, legum fecunda creatrix,
clara Mycenaei coniux et uindicis uxor
crimen adulterii cumulasti caede mariti.

Versus 424 et 425 sine dubio sunt reliquiae digressionis similis ei, quae sequentibus continetur versibus. Protulisse autem videtur poeta exempla pravorum hominum, quos iusta facinorum poena consecuta est. Inter quos praeter alios nominavit quoque Thersitem (is enim est uerbero plectibilis, comes armipotentis Achillis) *ac verbis:* ius Agamemnonium luerat *designavit plagam illi ab Ulixe inflictam propter Agamemnonis cavillationem. Quae si recte disputata sunt, post* 423 *et* 425 *plures versus intercidisse necesse est. Ceterum quid sibi velit* post Pergama capta v. 424, *non intellego. Quod cum aperte corruptum sit, in mentem mihi venit scribere* prope Pergama castris; *sed emendatio huius loci admodum incerta est.* — 424. fuerat BA.; luerat M. — 425. acillis B., acilli A. — 426. possedit regnum Tamiris BA.; occidit regem Tomyris M. — regina Scytharum M. — *Versus* 426—451 *post* 270 *reiciendos esse censet* L. — 429. cremaret A. — 430. incolomi uiduata B., incolumi uiduata A.; inmemori uiduata M.; inclemens, uiduata S. — 432. lectus A. — 434. quos quitice B., quos scythicae A.; quod Scythicae C. — 435. at tu M. —

quid sit honestus amor, multae docuere puellae.
Alcestis meminisse iuuat, quae morte maritum
manibus eripuit, pia coniugis, inpia de se.
quid loquar Euadnen Thebanis ignibus ustam
et post fata uiro flamma crepitante sodalem,
inpia quam pietas, affectus dulcis amaram
iussit habere necem, quae contra uulnera luctus
fortior igne fuit, crudelibus usa medellis
et simul ad manes in puluere coniugis iuit.
pertulit urna duos, funus quos iunxit amantes,
conubium felix, exemplum grande pudoris.
inpia sacrilego nupsit post fata marito;
pronuba flamma fuit, thalami rogus et pyra lectus.

dum regnaret iners Parcarum crimine pastor
et simul inlicito sese fruerentur amore
annorum septem spatiis et mensibus octo,
ibat alumna manus tumulis regalibus omnis
noctibus in mediis, flens per haec tempora regem.
anxia quae gemitum tremulis ululatibus usa
temperie moderante premit terrente pauore.
tunc ibi libertus sollers nutritor Orestis
euomit in gemitus uoces et uerba doloris:

---

439. *hunc versum, qui in codicibus post* 451 *legitur, huc transposui.* — 440. meminisse fuit BA.; meminisse iuuat M. — 442. loquar eua dente banis B. — 442. uiror BA.; uiri M., uiro R. — crepitante redalem B., crepitante Nealcen A.; crepitante fidelem M., crepitante sodalem R. — 444. inpia cum BA.; inpia quam C. — 445. crudelibus amedellis B., crudelibus usa medelis A. — 447. cum puluere M. — 449. conuiuium B., coniugium A.; conubium L. — 450. en pia L. — 452. regnaret inheret B., regnaret iners A. — crimina BA. — 453. inlicitis B., illiciti A.; inlicito M. — 456. fluens per hec tempora regem B., fluens tempora perdita regum A.; flens haec per tempora regem C. — 457. gemitum (et?) tremulis B., gemitu et tremulis A.; gemitu et querulis M., gemitum tremulis R. — 458. tremit BA.; premit R. — pauorem B. —

optime rex quondam, sed nunc miserabilis umbra,
prosperitas cui saeua fuit, uictoria crimen
intulit et mortem peperit post bella triumphus,
cuius adoratus constat per templa precantis
iratos audisse deos, placata negabant
numina prouentus: Danaos si uincere rectum est,
si gremio Paridis remanens erepta Lacaena,
nonne laborastis Helenam ne pastor haberet?
ecce tuam nunc pastor habet. si transitus est mors,
si sensus post fata manent, post membra soluta
si remanent animae, si stat post fata superstes
spiritus, exaudi lacrimas fletusque tuorum.
rumpe solum, findatur humus telluris hiatu,
nisus et armatus subito furialibus umbris
surge, uelut quondam tumulo surrexit Achilles.
exige supplicium de coniuge, soluat adulter
tot poenas, quot membra gerit. morieris inultus
et pastor tua regna tenet? post busta seuere
exegit mortem de uirgine Thessalus heres.
moribus innocuis tu dux inpune relinques
tot scelerum auctores uictricia regna tenere?
di, regitis quicunque chaos crudele barathri,
rumpite tartareas proscisso gutture fauces,
mittite uirgineas funesta in tecta cerastas.
ne dubitate, truces uenient ad regna Thyestis;
notum iter inuenient, sua per uestigia current.

---

463. uela triumphis B. — 465. *An* placitosque *scribendum?* — 466. uincere tecta B. — Danaos euincere rectos R. — 467. recubans M. — 468. laboratis elenam ne pastorali haberet B. — laborastis aliam ne R. — 470. census B. — membra salutem B. — 472. fluctusque B., fletusque A.; luctusque M. — 473. umus telluris iatur B. — 474. furalibus B. — 475. Achillis BA. — 479. tessalus eros B., thessalus heres A. — 481. actores A. — 482. geritis BA.; regitis M. — 483. thartareas prosciso B. — persciso L. — 484. *malim* uirgineos. — 485. benient ad r. testis B. —

non estis Furiae, si quaeritis ante rogari
ad quodcunque nefas; non hoc et sponte petetis?
sed dubito, quia iusta peto, tamen oro cruenta.
spes mihi maior adest; Thebis uicina petuntur
moenia tartareis quondam sacrata tenebris
et claro priuata die sub luce diurna.
ergo precor, cum iusta truces sententia mortis
participes scelerum percusserit ense seuero,
uos Acheronteis tortoribus addite flammas
et Furiis augete malum mortale uenenum;
torqueat auctores scelerum crudelis Enyo.
non sat erunt quaecunque reis tormenta paratis.

dixit et ex imo gemuit uox missa sepulchro:
parcite funesto mentem uexare dolore
meque piis onerare malis. releuare sepultum
debuerat famularis amor, quem pessima coniux
criminibus succensa suis et amore pudendo
uel fama prostante sua muliebribus armis
extinxit, cui uictor eram regressus ab hoste
retro decennalis fraternique ultor amoris,
ultor adulterii, quem fudit adultera coniux,
nec timuit foedare domum, maculare penates

---

488. non licet sponte potestis B., nonnisi sponte uenitis A.; si non fit sponte potestas R., uestra nisi sponte uenitis M., non hoc et sponte petetis? L. — 489. petens M. — *Inter* 489 *et* 490 *aliquot versus videntur excidisse.* — 490. theuis B. — 494. percusserit tense B. — 495. aceronteis B. — 496. malum inmortale perenne M., malum ferale perenne L. *Sed* mortale *causativa quam vocant significatione dictum videtur, velut notissimum illud Horatii 'exangue cuminum' (Ep. 1, 19, 18)*; cfr. v. 822. — 497. actores A. — 498. tormenta parentis B. — 499. gemitu uox B. — 500. lalore A. (*superscriptum* do). — 501. sepulchrum BA.; sepultum R. — 504. prostrante BA. *(nisi error est eius, qui editionem Muellerianam impressit).* — 506. credo BA.; retro M. — 507. adulter conjux B., adultera coniunx A. — 508. maculare pente B. —

inpete mortifero subita tum fraude profana.
nam nec inultus ero, ueniet his poena cruenta.
sed ne plura loquar, uera est Cassandra locuta,
credite Cassandrae, uerax Cassandra sacerdos.

dixit et abscedunt omnes linquendo sepulchrum.
illa nocte tamen uolitans Agamemnonis umbra
uenit Athenaeis mox sedibus. altus Orestes
illic quippe fuit, cum quo Pylades amicus
flatibus alternis perflans commercia somni;
lassus uterque fuit, concussus amore palaestrae
et stetit ante toros ambobus uisus Atrides
in somnis, non qualis erat post bella triumphans,
sed qualis cecidit percussa fronte bipenni,
tristis, iners, tremulus, gemitu suspiria rumpens,
pallida puniceo perfusus et ora cruore
et tremulas languore manus ceruice uaganti
ac pede uincla trahens, quibus est abstractus ab aula.
non pudet, o iuuenes, dixit, pubentibus annis,
uestitos sub flore genas lanugine crispa,
grandibus instructos studiis et fortibus armis,
quod pastor mea regna tenet promotus in arcem?
sanguinea mercede cluat sub crimine multo
laetus et indomitus, tumida ceruice supinus
prodeat infamis? uos iam non fama perisse,
si peto Cecropidas uindictam sospite nato,

509. tunc fraude A. — 510. *deest in* A. — at nec inultus M. — 513. absedunt B. — 515. Atheneis BA. — alter horestes A. — 517. commerca B. — 519. extitit ante R. — ambibus B. — 520. post uela B. — 523. pallea punice B. — perfuderat BA.; perfusus et M. — 524 *in* A. *legitur post versum* 525. — 527. uestita BA.; uestitos R. *et* M. — sub flore BA.; iam flore M. — gena A. — 529. ut p. m. r. notet BA.; quod p. m. r. tenet L. — promotus in arce BA.; promotus in arcem R. *et* L., prostratus in arce M. — 530. cluat B., luat A. — 532. plaudeat BA.; audiat C., haud eat R., prodeat S. — iam non BA.; non ut M. — perissem B. — 533. si peto cicropidas B., si spero cecropidas A. —

incolumi Pylade suo. Patroclus Achillen,
Thesea Pirithous non sic expertus amauit.
armati gladios in bella domestica ferte
adque adfine nefas cognato abscindite ferro.
nullum crimen erit matrem punisse nocentem.
morte maritali sceleratam iure necabis;
natus amore pio flammatus morte paterna,
uindicet ut patrem, qui matrem strauerit ictam,
crimina purgabit matris de tempore prisco.
nam patrem docet esse suum, quem uindicat armis
dignus adulterii uindex, pius ultor et heres
noster, amor Danaum. sunt omina laeua deorum.
ite pares animis; nobiscum uernula turba
sentiet, irati potius quod tardius istis.
ore fremunt famuli, qui carpere dentibus optant
corpus Egisteum uel uiua tradere flammis
coniugis infandae crudelia membra cremanda.

dixerat haec, gemitus somni rupere quietem.
mox Agamemnonia proles instructa sodali
dum narrare parat sua somnia, noscit ab ipso
ac stupet adtonitus, quae tanta potentia patris
tempore sidereo mentes monuisse duorum.
dic mihi, frater, ait, dic iam modo, quid sit agendum.
pectora cor sensus animum praecordia mentem

---

534. incolomi B. — acillen B., Achillem A. — 535. tesera piritous n. s. e. amabit B. — 536. gladio A. — in uella B. — 537. adque adfine B., atque affine A. — cognoto A. — ascendite BA.; abstergite M., excindite R., abscindite L. — 540. paterne B. — 541. patrem matrem A. — icta B. — quo m. str. ictu L.; *malim* cum matrem. — 543. esse sicum B. — 544. ultores theres B. — 545. danais B. — odia saeua BA.; omina laeua L. — 546. turua B. — 547. sentient B., saeuiet A.; sentiet L. — quo t. itis A. — 550. infande c. m. ore manca B., infraude c. m. cremanda A. — 552. agamemninia B. — 553. ab illo A. — 554. adtonibus q. t. potenta B. —

conturbat pietas dolor angor moeror origo
affectus natura pudor reuerentia fama.
transigo funereum materna in uiscera ferrum,
quae perpendo diu, bis quino mense peracto,
conceptus portare meos, stimulante dolore,
semina naturae, blandae primordia uitae.
uiscera lucis iter uel magni ianua mundi.
ast ubi sortitus nascendi iura peregi,
flumine pectoreo dedit ubera lactea labris,
dulcia nectarei fundentia mella saporis;
fit nutrix, quae mater erat, regina ministra,
exhibet affectus patrios ignara soporis.
haec pater, haec mihi mater erat pugnante parente,
donec ab undecimis me aetas eximeret annis.
inmemor existam tantorum in matre bonorum
an pater extinctus per me remanebit inultus?
facta luat pastor solusque superstite matre
corruat et patrios manes satiato cruore.
poena sit haec matri ut prostrato uiuat Egisto,
ante oculos recidente suos; muliercula tristis
aspiciat moechum, quae gaudens uidit Atridem.

---

558. dolor anxia BA.; dolor angor M. — 561. perpenda diune qui nomen se pericla B., perpendo diu uix primo mense periclo A.; quae perpendo diu uix primo mense peracto M. (*qui in versu sequenti cum* A. portasse *scripsit pro* portare *et versum* 564 *post* 560 *inseruit*), perpendo diu nequiquam emensa pericla e. portasse m. R., perpendo diu bis quino mense peracto c. portasse m. L. — 562. portasse A. — stumulante B. — 566. flumine perpetuo A. — 567. saporem B., soporis A.; saporis M. — 570. haec mater BA.; atque haec mater C., haec mihi mater R. *et* M. — 571. undecimis mea aetas eximeret annis B., undecimis aetas me duceret annis A.; me educeret M. — 572. matre uonor B. — 574. solus superstite A. — 575. saciabor B., satiabo A.; satiato M. — 576. prostato BA.; prostrato M. — 578. mecum garrula uidit Atridem B., moechum qui gaudens uidit Atridem A.; quae g. uidit C. —

dixerat haec dubius, sed non cunctatur amicus.
dentibus infrendens suspiria traxit ab imo
pectore longa ferox et sic aggressus Oresten
increpitat: si sensus iners tua corda tepescit:
ut facienda putes, quae nec dicenda fuissent
(dicere grande nefas, scelus est audire nefandum),
imus ad Argolicas ueniam donare Mycenas
criminibus matris. mage sit quae dignior, oro.
a scelus indignum! poenis ferienda duorum.
quaeso caue iuuenis Danaum praescripta dolentum,
ne, iugulatricem patris dum uiuere censes,
credaris non esse suus. non iure parentis
umbra, soporatum quae te conuenit Athenis,
occurret per mille uias? et limina portae
obsidet et tremulis his uocibus astra lacessens
inuehitur: sic nate paras defendere patrem,
sic decet. extincti genitoris fata dolere,
sic dabis inferias nostris tu manibus ultor?
uitricus optabit tali se morte perire,
ut sit, quae postrema rei crudelibus umbris
ingerat inferias animam parcentis Orestis.

---

579. haec diuius B. — cunctator B., cunctatur A.; cunctanter L. — 581. aggressos B. — orestem B., horestem A. — 582. sic sensus B. — si sensus iners sub corde tepescit L. — 584. audi benefandū B., audiri nefandum A. — 586. mage itq.: dignior ora B., magis est quae dignior hora A.; mater quo (*uel* qui) dignior oro L.; mage sit quae dignior oro S. — 587. a scelus B., ad scelus A. — ceruix ferienda M. — 588. Danaum aspera dicta M. — 589. uidere B. — 591. soporati BA.; soporatum M. — 592. per limina BA.; et limina S. — 593. obside te tremulis haec uocibus astra lacessent B., obsidet tremulis haec uocibus astra lacessens A.; obsidet tremulis te uocibus astra lacessens C., obsidet tremulis te uocibus oestra lacessens M., obsidet et tremulis haec uocibus astra lacessens R., obsidet et tremulis his uocibus astra lacessens S. — 594. inuenitor B., inmeritum A.; inuehitur R. — p. ras B. — 595. extincti fata genitoris adempti A. — 598. sit quae BA.; sit quam C. — post membra BA.; postrema S. —

uictima seruaris, fuerit nisi uictima mater.
quid facias genitore tuo tibi moesta loquente?
parcitur infaustis. pius es pietate repulsa.
ad tumulum patris fundantur membra reorum!
surge, iuuentutis melior spes indole regni;
excitet ingenium uirtus et gloria mentem,
armentur pietate manus, crudelior ensis
truncet in extremo gemitu fera colla duorum.
ibo libens comes ipse tuus per tela, per ignes;
haud metuam quemquam, nostri sunt patris alumni.
sed dabo consilium sollers, immane, salubre.
explorator eam tacitaque hos uoce monebo
aduentus sperare tuos. quae turba ministra,
credula dum fuerit, nobis mox corde fauebunt
ac pro te rapient gladios; sic tutius itur.

talibus adloquiis accensus felle doloris
erigitur iuuenale fremens mortemque minatus
dentibus inlisis frendebat murmure morsus
et quasi adulterium caperet pastoris Egisti,
matris in amplexus infamia membra ligantis,
perculit absentes nullo moriente reorum:
qualiter infremuit post somnia Pyrrhus Achillis,
quae sensus monuere suos cum nocte sopora

---

600. uictimas et uaris B. — 601. tuo tam M. — 602. pius an B., pius est A.; pius es C., pius an pietate repulsa es? R. — 603. fundentur B. — 604. melior, spes indue regni R.; melior spes, consule regno M. — 606. in extremo gemitus fercacula duorum B., in extremo semifera colla A.; in extremo gemitu fera colla duorum R. *et* M. — 609. hanec B., nec A.; haud R. — uestri B. — 610. sollers nec inane M. — 611. tacita quos BA.; tacitaque hos M. — 612. turba minis B. — 613. corde fruerunt B., corde ferentur A.; corde fauebunt R. *et* M. — 614. rapiunt B. — sic totius B., sic ocius A.; sic tutius C. — 616. iuuenile A. — 617. inlaesis frangebat BA.; inlisis frendebat M. — 619. ligaret BA.; ligantis M. *Fortasse scribendum:* cum infamia membra ligaret (*cfr.* 638). — 622. *an* in nocte *scribendum?*

Aeacide stimulante truci, cum posceret heros
uirginis inferias, in Pergama saeuior umbra.
ergo ubi consilium placuit Pyladis Oresti,
mentibus armantur; solis mucronibus usi
callibus occultis, qua semita ducit euntes,
ibant obscuri quaerentes ausa latere,
donec in infames iugulos uindicta ueniret.
sic Diomedeos gressus comitatus Ulixes
Dardana nocturnos peteret cum castra uiator,
sollicitum carpebat iter, non indice cornu
classica bellisonis quatiens clangoribus aeris,
sed pede suspenso tacitus sine flatibus oris
ibat ab Argolicis progressus puppibus audax
fortior Oenides, sollers Laertius heros.
sic et Athenaei iuuenes petiere Mycenas.
qui dum iter inceptum peragunt, nutritor Orestis
apparet Dorylas subito trepidantibus illis:
unde uenitis, ait, iuuenes, quine estis, amici,
quoue tenetis iter? qui nullis uocibus usi
dum transire parant, Dorylas cognouit Oresten,
cuius in amplexus per dulcia colla ruebat,
uiuis alumne? sonans; quia uiuis, uiuimus omnes.
cessimus insidiis, dum luxuriatur adulter,
deliciis fruitur, polluta matre potitus.
templa triumphorum, regalia tecta potentum
et delubra ducum uel puluinaria regum

623. cum posceret B., deposceret A.; Aeacides stimulans duci deposceret heros M. — 625. ergo ubi B., sic ubi A. — 628. causa B. — 633. non hic bellisonis M. — quatiunt R. — clangoribus auras BA.; clangoribus aeris L. — 634. si pede BA.; sed pede C. — 637. sic aetatene iuuenes petiere B., sic tacite iuuenes ambo petiere A.; sic et Athenaei iuuenes petiere R. — 639. doloiras sibi B., dorilas subito A. — 645. lux oriatur B. — 646. triumphantum M. — 648. delubra deum BA. —

crimine prostituens gaudet fecisse lupanar.
nos tamen ad tumulum magni genitoris euntes
plangimus adsidue, cuius promissa tenemus,
quamuis Cassandrae fuerint responsa priora.
quod superest, cita poena reis; properate, sodales,
indole Cecropia; uobis diuina fauebunt.
regia familia scelus hoc punire precantur.
ne dubitate, uiri, uestras accendere mentes
et capulis armare manus et stringere ferrum.
hunc stimulet pietatis amor, te foedus amici,
hinc dolor exurgat, hinc famae pulcra cupido.
nec labor ullus erit mulierem sternere turpem;
rustica praeterea quae sit mora frangere membra?

dixerat haec senior, spes haec accendit amicos
accelerare gradus; prope iam non esse Mycenas
quisque dolent iuuenes. et pergens inquit Orestes:
'acceleremus iter'. subicit Pylades et inquit:
ito prior senior; nos festinare necesse est.
audiat haec seruilis amor secretus in aurem
et subito speret nos quarta luce uenire.
dixit et abscedens senior processit ad urbem;
gaudia dant gressus celeres quos denegat aetas.
iamque iter emensus fessus peruenit ad arces,
indicat occulte paucis, quia uiuit Orestes
et uenturus erit uindex sub luce futura

652. fuerit B. — 655. regales famuli A. — 657. manus astringere B. — 660. matronam sternere turpem *uel* meretricem sternere turpem *vel* muliebrem sternere cunnum M. — 662. spes aeca L. — amicus B. — 664. quidque dolenti ualenes sed pergimus inquid B.; quisque (*uel* quippe) dolent iuuenes R., quisque dolet iuuenum. pergamus, dixit Orestes M., quisque dolent iuuenes et pergens inquit Orestes S. — *In* A. *desunt versus 663 et 664.* — 665. subicit pilades B., subiecit pylades A. — inquid B. — 670. dent B. — celeris B. — 671. peruenit uterque A. —

sanguinis auctoris monitis urguentibus omnes,
ut taceant furtimque ferant cuicunque ministro.
cunctis nosse licet, solis nam scire negatur
complicibus scelerum, ne se subducere possint
aut armis conferre manum, defendere uitam.
aduentum ad domini retinet pars uernula portas,
altera pars aedes, pars obsidet altera muros.

reddidit interea rutilum post astra refundens
depositum natura diem stridentibus undis.
sol micat et melior compensat damna Thyestis.
uiderat Atrides muros quos liquerat infans,
et memor illorum dextram cum uoce tetendit:
salue, prisca domus, patriae saluete Mycenae;
execranda prius, sed post ueneranda manebis,
sanguine si matris cineres satiabo paternos.
sentiet umbra potens ultam se uindice nato,
quando Eriphylaeam percussam uulneris ictu
uiderit uxorem uelut auguris Amphiarai.
dixerat et trepidus muros circumspicit hospes,
qua meminit, carpebat iter comitatus amico.
postquam introgressum cognoscit turba ministra,
os Agamemnonium gressus oculosque manusque,

---

674. moniti surgentibus B.; monitis urgentibus A. — 675. circumque ministro A. — 676. solis nescire BA.; solis nam scire R. *An* solis sed scire *scribendum?* — 677. possent B. — 679. portus BA.; portas R. — 679. aduentum domini pars retinet A. — 681. rustilum B. — 683. micans B., micat A.; solque micans melior R. — damnati estis B. — 684. Arides B. — linquerat B. — 685. sed memor illorum dextrum B. — 686. patriae salue B. — 690. quando er . . . file B., quando eriphilem A.; quando Clytaemnestram M., quando Eriphylaeam L. — 691. agurus anfiarat B. — uxorem quando percussam uulneris ictu uiderit Eriphylen uelut auguris Amphiarai H., quando Eriphylen uelut auguris Amphiarai uiderit uxorem percussam uulneris ictu R. — 692. circuminspicit hospes B., circumspicit hostes A. — 694. introgressu cognosci B. — 695. hos B., os A. — oculosque minaces A. —

planctu gaudentes fremunt sine uocibus oris.
iam portae claudantur, ait Pylades Oresti.
claustra ligant aditus, crepuerunt classica Martis.
securi stipuere rei, terretur Egistus.
'non ego promisi Danais per saecla quietem?
nullus, ad Argolicos moueat qui bella, remansit
Hectore consumto, Troia pereunte sub armis'
dicebat regina furens irata ministris.
'uindico. sic uiuam mecumque senescet Egistus.'
talia dum loquitur, quasi uindex saeua minatur,
una puellarum male concita currit anhelans.
'uenit Orestes' ait, sed statim credita non est.
dum dubitant somnumque putant et uana locutam,
apparet uiolentus atrox Pylades in aula,
qualis in hoste fuit trux, inreuocabilis Aiax,
Hectora cum peteret clipeo septemplice tectus.
ore fremens et fronte minax, mucrone coruscus
intonat auctores scelerum: crudelibus ausis
regnastis nunc usque truces, euadere iustas
sperastis uos posse manus; modo saeua luetis
supplicia scelerum non una morte peremti.

dixit et ad famulos ultricia uerba retorsit:
praecipitate nefas solio de principis ictum
et pede tractus eat fera uictima regis Atridis.

---

696. gaudentes fremunt BA.; gaudentesque fremunt M. *An scribendum* gaudentes fervent (fervunt?) — 698. mortis BA.; Martis L. — 699. stupuere A. — 701. ullus ad A.; at Argolicis M. — quid bella BA.; qui bella R. *et* M. — 703. dicabam B., dicebat A.; dictabat R. — *Hunc uersum post 700 collocandum esse suspicatur* R. — 704. uindico, si uiuam M. — 706. *an* minata *scribendum?* — 706. puellarumale B. — 708. locuta B. — 712. coruscis B. — 713. actores B. — 714. regnantis B. — 715. sperastis suos B. — 716. suplia scelerum B. — perenti B. — 717. famulos suos ultricia B. — 719. atridae A. —

carnifices frangant turpissima membra secures,
et pereat pastor qua regem morte peremit.
ante tamen nostram perfundat sanguine dextram.
dixit et exertum costis inmerserat ensem.
saucia membra trahunt famuli pede uincla ligantes
postque fores portae, quibus est abstractus Atrides,
ossibus effractis minuunt per mille secures
et male partitus per uulnera palpitat artus.
at genetrix dilata putat sibi parcere natum
et secura sui iam pro pastore dolebat,
cum subito truculentus adest inmanior hoste
matris in exitium famulorum nisus Orestes
agmine terribilis, qui captam crine trahebat
increpitans: inpune tuum post funera patris
sperasti regnare nefas tumuloque parentis
iungere natorum uoluisti fata duorum?
uiuo, uides scelerata parens, moriere cruente
et manibus iugulata meis super ossa mariti.
conturbata parens nudis exerta papillis
orabat natum: per haec puer ubera parce,
per superos patremque tuum, per cara sororis
pectora, quae nostro te tunc rapuere furori,
et per Pyladem, quod plus est, testor amicum,

---

720. durissima membra BA.; spurcissima M., turpissima S. *Sed fortasse recte se habet 'durissima', si interpretaris 'maximis laboribus durata'; cfr. v.* 661 *rustica membra.* — securis BA. *(nisi est error eius, qui editionem Muellerianam impressit).* — 721. rege B. — 725. postquam fores B. — atridae A. — 726. ossibus et fractis B. — 727. partitos B. — 729. iam *omissum est in* B. — 732. crimine trabat B. — 737. sed manibus BA.; et manibus M. — 738. mamillis A. — *cfr. Sil. Ital.* VIII, 587. — 739. pe hec puer ubera B., puerum ista per ubera A.; per haec puer ubera C., per te haec precor ubera M., per ego haec puer ubera L. — 740. clara BA.; cara M. — 741. pectora quae BA.; pignora quae L.; pectora quae e M. — furore A. *et* M. — 742. piladem A. — est estor B. —

da ueniam, miserere, precor, miserere parentis,
si dici sum digna parens. tum natus: inanes
perdis, ait, lacrimas, genitor te expectat ad umbras.
Ilias ingemuit domini Cassandra ruinam
nec ferit Andromache famulans post Hectora Pyrrhum,
cum regina Phrygum fieret captiua Pelasgum.
praelato pastore ducis tu colla cruentas.
haec mihi Pylades meus inperat et soror urguet,
ut iaceas mucrone meo, truculenta uirago.
ast ubi nil potuit mulier de prole mereri,
mox redeunt animo Phrygiae praesagia uatis.
si placet ulcisci genitorem, dixit, in ambos,
Pyladis me dextra necet, necet ensis et idem.
sit scelerum complex et nostri criminis auctor
et super ossa ruam recidens spirantis Egisti.
mixtus uterque cruor testabitur omnibus umbris,
consortes scelerum quia sors manet una malorum.
quod super ossa rogas moechi moribunda iacere,
natus ait, melius recides super ossa mariti
nec cruor amborum miscebitur ense minaci,
criminibus nec fructus eat morientis amoris
aut operae pretium capiatis sorte malorum.
supplicio sociante nefas discreta iacebis.

---

743. parente B., parentis A.; parentem R. — 744. dicis BA.; dici R. *et* M. — 747. nec ferit BA.; nec fert M. — post hec Pyrrhum B. — 751. ut iactas B. — uirgo B. — 753. frigiae praesagia fatis B., phrygiae praesagia sortis A.; phrygiae praesagia uatis *Sinner, in cat. bibl. Bernens.* p. 508. — 755. dextra net necet B., dextra necet nec A.; dextra necet, necet *Sinner. l. c.* — 756. complex sit nostri criminis actor A.; et scelerum complex sit nostri criminis auctor C., sit scelerum uindex et nostri criminis ultor M. — *Ceterum versus* 755—757, *qui in codice* A. *ita ut supra leguntur, in codice* B. *hoc ordine exhibentur:* 755, 757, 756. — 757. recedens B. — 759. quia sors BA.; quos sors M. — *Post hunc versum in codice* A. *legitur* 765 *inclusus syllabis* ua—cat. — 762. ne cruor A. — mense B. — 763. ne fructus A. —

dixit et ad patris ueniens dat uerba sepulcrum:
sancte pater, quia sensus iners et spiritus extas,
accipito inferias quas offero; uictima iusta est.
macto Clytaemnestram matronam regis Egisti
atque utinam non ante tuam. solatia nosce,
nam iacet ille loco quo tu percussus obisti.
aetatis mora iusta fuit, quod tardius hoc fit;
olim uelle fuit. subicit Danaeia mater:
sol pietas elementa poli mare flumina tellus
et rerum natura parens tuque atra uorago,
haec spectate uices nato redhibente parenti,
quod genitus fuerit, mercedem cernite lactis.
dixerat haec genetrix, surdis tamen auribus inquit
quod potuit pietas; uultus auertit Orestes.
sol negat almus equos iterum de more Mycenis
atque tenebroso subtexitur aëre caelum
et non legitimam timuit mox Graecia noctem;
extimuit natura chaos, elementa tenebras.
laudat Enyo nefas, dextram culpabat Erinys.
pallia purpurea praestricto dente momordit,
concidit et tunicam manibus tetendit ad imos
usque pedes metuens, ne mortua nuda iaceret.
moesta uerecundo uoluebat lumina uisu,
uix semel infelix extrema in morte pudica,
quod non ante fuit, metuens in funere famam.

---

767. sancte pater A. — 768. infecias B. — iustae B., iusta est A. — 769. mato B. — 772. quo BA.; quod R. *et* M. — 773. danae B., daneia A.; Danaeia C. — 776. exspectate ciues nator et hibente parenti B., haec spectate truci et nato perhibete parente A.; haec spectate uices nato redhibente parenti R., haec spectate trucem et natum prohibete parenti M. — 777. quo fuerit genitus A. — qua genitus fuerit, mercedem hanc reddere lactis M. — 778. dixerat et B. — genitrix A. — 779. quod potum A. — 780. almus quos B. — 784. enio B. — capulabat BA.; culpabat M. — crinis B., herinis A.; Erinnys C. — 785. purpureo BA.; purpurea C. —

candida puniceo rutilantur membra cruore,
uerbere corporeo pressas quatiebat harenas,
tandem iussa mori uitam cum sanguine fudit.
tunc repetunt pariter regalia limina torui.
sic duo terribiles fulua ceruice leones
caede iuuencarum satiati lustra reposcunt.
regia sanguineos susceperat aula sodales,
conueniunt Danai, regis sub honore salutant.
pars dolet Atriden et pars dolet altera matrem,
nemo tamen facinus uerbis culpabat apertis,
nec fuerat quisquam qui non damnaret Egistum.

transierat funesta dies, Sol merserat undis
oceano stridente rotas, redeunte sorore;
roscida somnigerum reuocabat palla soporem.
tempus adhuc medium uoluebant sidera noctis;
nuncius Hermione uenit de uirgine rapta,
stirpis Achilleae Pyrrho praedente rapinam.
mox furit Atrides, qui sic exorsus amico:
nos alius uocat, ecce, labor, raptatur adulta
sponsa toris promissa meis; tu regna guberna.
ibo ego per gladios flammas et mille cohortes
(nam decet ultorem patris sibi quippe mereri),
dum tamen eripiam clamantem nomen Orestis.
dixit et accinctus capulo procurrit in hostem.
repperit Aeacidem subientem templa deorum,
adgreditur iuuenem, securum obtruncat ad aram
et redit ad Danaos elatus caede secunda.

---

792. pondere corporeo M. — arenas A. — 794. lumina A. — 799. atridens B., atridem A. — mater B. — 804. rosida A. — plena soporem M. — 806. hermionae A. — 807. rapina BA.; rapinam R. — 808. extorsus B. — amicum BA.; amico R. *et* M. — 812. non decet ult. p. s. q. timere M. *(qui versum* 813 *post* 810 *collocavit).* — 813. dum teneram M. — 814. produxit BA.; prorupit M., procurrit S. — 815. subeuntem A. —

dum solio fruitur patrio diademate pulcher,
astitit ante oculos genetrix sua non ut inermis,
sed faculis armata rogi, subcincta cerastis.
ignibus admotis resolutos orbibus angues
ingerit in faciem iuuenis, mortale minatur.
terruerant haec monstra uirum, fugit atria lustrans,
sed sequitur metuenda parens; petit ille recessus
per secreta domus, illic magis inuenit hostem.
obice postposito mox ianua clauditur omnis,
repperit interius matrem in penetralibus aulae.
infremuit conata loqui: crudelior, inquit,
inpie, non sat erat pietatis uulnus acerbum,
ut scelerata manus macularet sacra deorum?
claude adamanteas ferrato cardine portas,
obstrue per calcem si sunt tibi mille fenestrae,
omnibus ipsa locis adero tibi saeuior umbra
per freta per campos per siluas flumina montes.

dixit et igne rogi crepitanti pectora turbat.
ast ubi pernicem non fas est uincere matrem,
it manus ad capulum. set crebris ictibus auras
diuidit et uacuam reuocat sine uulnere dextram.
ac miser increpitat: meus est hic mucro cruentus,
quo meretrix percussa iaces; feriere secundo.

---

818. diademate frangit A. — *Versus* 821 *et* 822 *in* B. *transpositi sunt ita, ut versum* 820 *sequatur* 822 *et hunc* 821. — 821. resoluto sorbibus anges B., resolutos crinibus angues A.; resolutos orbibus angues R. — 822. faciem inalenis: motale B. — 823. fuit B., furit A.; fugit R. *et* M. — 824. recensus B. — 826. claditur B. — 827. inferius BA.; interius M. — 829. erant B. — 830. ut B., ni A. — maculare B. — 831. adamanteos f. c. postes A. — 832. estrue per calium si sunt t. m. funestrae B. — 834. per freta per terras A. — silua B. — 835. angue rogi B. — 836. perniciem BA.; pernici R., pernicem S. — matr B., matris A.; matrem R. — 837. in manibus ad B. — et crebris BA.; set crebris R., uel crebris L. —

dixit et agnoscens gladium grauis umbra fugatur
aëra per tenerum, tamen heu remanente furore.
perfurit Inachius uindex, Agamemnonis heres,
ut furit ex Baccho male sobrius ille Lycurgus,
ut furit Alcides saeua terrente Megaera,
ut quondam furuit Danaum fortissimus Aiax.
infremit, inpatiens tota discurrit in aula,
qui famulos matrem, matrem putat esse sodales.
mater erat quicunque fuit; uicinus ubique
aspis et ignis erat, fugit hos, simul adpetit illos,
Pyladis tantum facies non terret amicum.
inter delicias epulis regalibus aptas
esurit et facibus prohibetur tangere mensas;
sic interna fame nimie torquentur inani.
prandia conspiciens dapibus conferta patentum
ingemit ac nullus cibus est, sed imago ciborum,
quos nec ut adtingat furia accumbente uetatur.
quid faciat? quos ille deos, quae numina poscens
eliciat supplex? aut tristia regna fatiget?

. . . . .

dum deflent omnes et tota plangitur aula,
alter adest gemitus, tristis dolor et metus ingens.
uenerat Andromachae soboles Pyrrhique Molossus

. . . . .

841. agnosces B. — umbra grauatur A. — 842. furorem B. — 843. inacius B. — 844. ex uaco B. — licirgus B., ligurgus A. — 845. furit a . . cides seua terrentem egebat B., furit Aegides saeua terrente Megaera A.; furit Alcides R. *et* M. — 846. totum d. in aulam B. — 848. famulos matrem putat B. — 850. os simul B. — 851. Pyladis tamen BA.; Pyladis tantum R.; Pyladis tamen haud facies terrebat amicum *vel* Pyladis tamen effigies non terret amicum M. — 853. esuriret faucibus B. — 854. sic inferna fames animo torquetur inane BA.; sic interna fame nimium [nimie S.] torquentur inani M. — 857. quos nocet adtinguat furiaccibente B. — 858. quo numina poscent B. — 859. supplex ut B., supplex an A.; supplex? aut S. — tertia regna BA.; Tartara regna M.; tristia regna S. — 860. deplent B. —

ultorem genitoris agens. Pylades Orestem
tollit et externas subtractum mittit ad oras.
litora contigerat, fuerant ubi templa Dianae.
mos ibi saeuus erat: miser aduena uictima ferri
ducitur, erectas mox stat uittatus ad aras.
uidit ut, armatur quod ferro more sacerdos,
expulsus terrore furor; mors proxima mentem
reddidit et partem tribuere aduersa salutis,
nam miser ingeminans Agamemnona saepe uocauit.
audierat sollers Iphigenia nomen Atridis:
hostia dic, quis eras, aut cur Agamemnona clamas?
saucius ille refert: ego sum miserandus Orestes
matre Clytaemnestra genitus, regnator Atrides
noster erat genitor. non ultra passa loquentem
proiecit cultrum percussa fronte sacerdos:
soluite carnifices trepidantia membra ligati;
sanguine corda uacent, non est haec hostia grata.

dixit et exutum uittis submouit ab ara,
omnibus exclusis non se negat esse sororem.
sed uidet interdum uitiata mente furentem
nil sano sermone loqui. quem nocte precatu
purgat et ablata migrat cum fratre Diana.

---

864. tollite externas B., tollit et extremas A.; tollit et externas C. — extremas abstractum L. — 865. litera conticera fuerant B., litore constiterat fuerant A.; litora contigerat fuerant R. — ibi templa A. — 866. mos serbus ubi B., mos ubi saeuus A.; mos ibi saeuus R. — 867. erectus B., ereptus A.; erectas R. — mox statuitatus ad B., mox ipse staturus ad A.; mox ipse statutus ad C., mox stat uittatus ad R. *et* L. — 868. armetur ferro B. *(inter* armetur *et* ferro *est lacuna)*, armetur quid ferro A.; armatur quod ferro H. *et* M. — 872. sollers sifigenia nomen atridis B., sollers ephigenia nomen atridae A. — 873. ostia B. — clamans B. — 874. ocius L. *(sed cfr. Non. p.* 398, *p.* 270 *ed. Gerlach.)*. — 878. ligatis BA.; ligati R. *et* M. — 879. corda carent B., corda micant A.; corda uacant M., corda uacent S. — 883. precatum B. —

ut patriam rediere suam, mox fama Molossum
instruit; accusat gemino de crimine Oresten.
legibus exhibitum mediis induxit Athenis.
conscendere patres templum praebente Minerua;
surgit Achilleus stimulatus amore paterno.
sic exorsus ait: proceres, legalis origo,
arguo mortiferum sceleratae mentis Oresten,
sanguinis oblitum, humani iuris egenum,
sacrilegum superum, perfusum sanguine matris
hac dextra fundente sua. sed adultera forsan
mater erat. Pyrrhus numquid fuit alter Egistus?
quem necat in templo caelestia dona ferentem,
euersorem Asiae, natum armipotentis Achillis.
forte refert: quia mater erat scelerata, profana,
crimen adulterii cumulat quae morte mariti,
percutienda fuit. rea maxima iudice iusto,
non tamen ense suo. quid iam peccasse pudebit,
cui prius est in matre nefas? censete seuera,
Cecropidae proceres, decet ultio talis Athenas,
cuius in exitium sat erit non culleus unus.
talibus hic opus est. aequentur uulnera membris,
tempore sit modico uiuax laniando cadauer.
haec ait et tacuit, cui sic respondit Orestes:
summates Danaum, sapientes lumine cordis,

885. patria r. sua B., patriam r. suam A.; patriae r. suae H. — 886. Orestem BA. — 888. consedere A. — 889. surgit atihilleus B. — 891. Orestem BA. — 892. oblitu B. — *R. transpositis hemistichiis versuum 892 et 893 ita scribendum censet*: sacrilegum superum, humani iuris egenum, sanguinis oblitum, perfusum sanguine matris. — 894. et dextra fundate sua BA.; hac dextra fundente sua R., quae dextra truncata sua est M. — sed et altera BA.; sed adultera L. — 895. pirrus B. — 897. auersorem B. — achilli A. — 898. refet B. — mater scelerata (*omisso* erat) B. — 900. fuit trea B. — 902. censet haec reuera B. — 905. hoc opus B. — 906. tempore sed B. — 908. lumina B. —

culmen Athenaeum, censores iuris honesti,
gaudeo securus quod apud uos causa mouetur.
sunt quibus uxores, quibus est affectus amandi
et meminisse reor primaeui temporis annos,
quid sit amor sponsae, thalami quae uota futuri.
Pyrrhus erat raptor, uindex peto bella rapinae.
iustior inuenior, dum matrem uindicat ultor.
si ulciscenda rea est genetrix, quid? non pater insons?
dis superis grates, quod post tot funera mentis
arguor adsistens inter subsellia sospes,
incolumis ueneror sanctum per iura tribunal.
a licito discerno nefas. tractate, uerendi.
non de lite mea sententia uestra ferenda est,
sed de iure deum, qui me purgasse probantur,
dum medicinalem tribuunt per corda salutem.
nemo poli seruare deum, puto, uellet iniquum.
quis, rogo, sacrilegus, quis demens audeat almos
accusare deos, quibus est perfecta potestas?
scilicet accuset, uocet in certamina diuos;
quid faciat facinus? praesumat bella gigantum.
forsitan obiciat, fuerint cur ergo furores?
cura doloris erat, proceres, non poena reatus,
taedia sollicitant animos mentemque fatigant.

---

909. ateneum B., atheneum A. — 912. *malim* annis. — 913. quod sit . . or B., quod sit amor A.; quid sit amor M. — *Versuum* 913—934, *quos ita ut supra leguntur constitui, in codicibus ordo hic est:* 913, 917—924, 915 *et* 916, 925—931, 914, 932—934. *Maehlyus contra hunc illorum versuum ordinem exhibuit:* 913, 917—920, 915 *et* 916, 921—931, 914, 932—934. — 914. uindex post BA.; uindex paro M., uindex peto S. — 916. si ulciscenda rea genetrix BA.; si ulciscenda rea est genetrix, quid? *uel* ulciscenda rea est genetrix. quid? L. — 918. adsistiens inter subselia B. — 919. incolomis B. — 920. tractante A. — uenendi B. — 923. salutes B. — 924. uelle iniquum B. — 925. *deest in* A. — sacrilegos B. — 927. aucuset B. — duos B. — 928. quin, faciat facinus M. — 929. ergo nocentes A. — 930. ne poena B. —

arguit unus iners, quem conprobat ordo deorum.
quaeso, duces legum, sententia uestra resoluat
purgatum sub iure deum, sub sorte benigna.

dixit et inposuit moderata silentia linguae.
consilium petitur, facta tractantur Orestis.
mos erat arbitrii, quod dispar calculus iret.
albus adest uitae, nam mortem russeus urguet.
iudicii certamen erat, sententia duplex
discrepat et numerus par est utriusque coloris.
calculus albus erat habuit quem dextra Mineruae.
is datur ad uitae numerum, purgandus Orestes
dicitur et procerum talis sententia fertur:
si decreta deum homini tractare liceret,
posset Orestis opus legali tramite quaeri;
sed quia praescripto capimur clementia caeli
nec sinit, austeri iuris censura quiescat.
quis temerator erit caelestia iura mouere?
non erat inpunis Paris arbiter ille dearum,
Tiresias nec erat iudex inpune Tonanti.
raptor obit Pyrrhus iusto mucrone peremptus.
quod per templa ruit; fuit et perfecta potestas,
si uellent punire, deis. securus Orestes
sitque redux patriae nullo damnante reatu.

932. *fortasse* arguor *scribendum est.* — 936. fata tractantur B. — 937. arbitri quos B., arbitrii quod A.; arbitrii quo M. — 939. suplex B., duplex A. — 940. discrepat et BA.; disseparat M., discrerat L. — paris utrique B., paris utrinque A.; par est utrinque C., par est utriusque M. — 942. his datur B. — 943. pocerum t. s. perra B., procerum talis sententia uera A.; sententia perstat M., sententia fertur R. — 946. quia praescriptum facinus M. — 947. non sinit audiri BA.; nec sinit anquiri M.; nec sinit, austeri S. — 948. quis temere auctor erit L. — 950. necter estas erat B., non praestatus erat A.; nec Tiresias erat R., Tiresias nec erat L. — inpone B. — 951. iuxto B. — 953. deis sed purus M. — 954. fitque M. — damnantes B. —

actum erat, excipiunt populi clamore fauentes,
suscipit egressum Pylades laetus amicum
amplexuque tenent laeua dextraque sorores.
quatuor et reduces laeti petiere Mycenas,
regia diuitiis repetuntur tecta relatis.

Di quibus inperio est facilis concessa Tonantis
aëris et pelagi terrae caelique potestas,
uos pietas miseranda rogat, uos mitis honestas,
uos bona simplicitas, affectus sanguinis orat,
uos genus humanum, consortia sancta cruoris,
stemmata uos generis, cognatio cuncta precatur:
crimina Lemniadum sat erant, Danaeia facta,
quae thalamos fecere rogos, et facta Thyestis
innumerumque nefas, quod sit narrare pudoris.
ecce Mycenaea triplex iam scena profanat
Graiugenum famam; uestro iam parcite mundo
atque usum scelerum miseris arcete Pelasgis.

---

955. attuerant excipiunt B. — 956. egressus B. — 959. reputuntur B., implentur A.; repetuntur R., replentur M. — re . . atis B. — 962. honestos B. — 963. uos una B. — 966. Lemniadum B., naiadum sat A.; Laiadum L. — daneia BA.; Danaeia C. — fecta B., facta A.; pacta L. — 970. nostro iam A. — 971. sceleris A.

DU[redacted]

Ld 11.14
Orestis tragoedia;
Widener Library 005246627
3 2044 085 199 057